




**Pium consilium super Papae Sfondrati dicti Gregorij XIII :
monitorialibus ut vocant Bullis, & Excommunicationis, atque
interdicti in Galliae Regem, Ecclesiam, & regnum minis, e?
Francorum maiorum nostrorum exemplis in rebus iisdem
repetitum;**

<https://hdl.handle.net/1874/455978>



Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell
Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:
<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
 - de kopsnede
 - de frontsnede
 - de staartsnede
 - het achterplat

This book is part of the Van Buchell Collection
Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:
<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board


S. 26

863



202
1
202
202





Historia Gentium


Octavo n°. 863.

uge
um
in de
rum
itum
iale
fac
ho
usa
in
sco
omo
riani
iplatu

**S. oct.
863**

fici
a
tio
ecclesiarii. Confiteor unū
baptisma in remissionem
pātor̄ et expecto resurrecti
onē mortuor̄. Et uicam
futuri seculi. Amezz.

Proceſſe lata tincta hāc oblatione
qm̄a ē offerto in mēoria p̄missionis
resurrectionis al̄testrionis dñi m̄n
ish̄ x̄ in hōre licei gratias
maie ē brōz ap̄stolorū tuor̄
Pet̄ & Pauli & omn̄ s̄c̄or̄ s̄ibi
placuerunt ab m̄ 110 m̄di & com
m̄noꝝ hōdie festa celebrat̄ &
quor̄ noꝝ & reliq̄e hic habentur
Et illis p̄ficiat ad hōrē nobis
aut̄ & oīb̄ fidelib̄ om̄is & defunctis





1. 1. 1.

N 47.4

Ok. 2431.

PIUM
CONSILIVM
SUPER PAPÆ SFON-
DRATI DICTI GREGORII
XIIII MONITORIALIBUS UT
vocant Bullis, & Excommunicationis, atque
interdicti in Galliæ Regem, Ecclesiam, & re-
gnum minis, è Francorum maiorum no-
strorum exemplis in rebus iis-
dem repetitum;

A T U S S A N O B E R C H E T O

*Lingonensi è Gallico in Latinum ser-
monem conversum.*



Psal. 109.

*Maledicent ipsi, & tu, Ichova, benedices;
Insurgent, & pudore afficiuntur.*

F R A N C O F U R T I

Ex officina Typographica Mar-
tini Lechleri,

M D X C I.



MINISTERI

OF THE CHURCH

IN THE STATE OF NEW YORK

BY JAMES W. THOMAS

SECRETARY OF THE STATE

1850

PRINTED FOR THE AUTHOR

AT THE STATE PRINTER'S OFFICE

ALBANY, N.Y.

PRICE, FIFTY CENTS

THE STATE OF NEW YORK

DOES NOT APPROVE OF THIS BOOK

IT IS UNWISDOM TO READ IT

IT IS UNWISDOM TO OWN IT

IT IS UNWISDOM TO GIVE IT AWAY

IT IS UNWISDOM TO LEAVE IT IN THE HOUSE

IT IS UNWISDOM TO LEAVE IT IN THE CAR

IT IS UNWISDOM TO LEAVE IT IN THE POCKET

IT IS UNWISDOM TO LEAVE IT IN THE BAG

IT IS UNWISDOM TO LEAVE IT IN THE PURSE

IT IS UNWISDOM TO LEAVE IT IN THE BOX

IT IS UNWISDOM TO LEAVE IT IN THE BAG

IT IS UNWISDOM TO LEAVE IT IN THE PURSE

HENRICO IIII CHRI-
STIANISSIMO GALLORVM
ET NAVARRORVM REGI
Tuss. Berchetus S. D.



V i rei veritate ac justitia,
& firmis utriusque propu-
ntandæ fundamentis nitun-
gur, HENRICE Christia-
nissime, illi nec lucem, nec
forum, nec judicem, nec disputationem refu-
giunt: sed in causæ sue defensione recta via,
ratione nimirum, jure & modestia progre-
diuntur, ut præter victoriam, quam meri-
to sperant, moderationis etiam laudem con-
sequantur. Contrà, quibus iniusta causa
est, nec verisimilis ulla illius quo jure qua-
que iniuria defendendæ facultas, ii pro ar-
gumentis & exemplis optimis, quibus defi-
ciuntur, contumelias, vim & violentiam
non iniuste tantum, sed protervè etiam sa-
penumero adhibent, injustitia simul & pe-
tulantia insigues. Ita nimirum, exempli
causa, in scholis (ut à minimis ad maxima
sensim progrediar) usavenire videmus, ubi,

P R A E F A T I O

qui vel ingenii exercendi ostentādique, vel
veritatis illustrandæ gratia disputant, nec
habent unde quod volunt efficiant, ad cla-
mores, ad rixas, ad pugnos & pugnam ve-
niunt: fit q̄, ut, qui insana vociferatione, pe-
tulantig, contentionē vicerint, judice vul-
go, quod ea miratur & probat, eruditiores
habeantur. In foro idem dicendum: Ut
enim eruditus & justæ caussæ vindex pa-
tronus graviter & modestè caussam agit:
sic ineptus rabula & veritate & ratione de-
stitutus, injuriis complet forum, ridiculis
tergiversationibus caussam eludit, clientem
frustratur, furiosis clamoribus auditorum
aures obtundit, judicum etiam animos ene-
cat: qui tamen coronæ plerumque imperitæ
opinione, benè dicendi palmam refert. In
templo etiam, qui Spartā quam nacti sunt,
dignè ornare, & susceptam probandæ atque
illustrandæ veritatis provinciam, muneris
sui functioni auditorumq; expectationi cō-
venienter, tueri non possunt, quia nulla ve-
ritate nituntur, pro frugibus obtrudunt fa-
melico populo siliquas, pro luce tenebras of-
fundunt, pectus præ dolore aut furore po-
tius tundunt, pulpitum feriunt, vociferan-
tur,

tur, in veritatis assertores contumelias despumant, fulmina contorquent, eosque ad fasces & secures, ad ignes & saevissimos quosque cruciatus damnant. At veri pugnæ Ecclesiastæ, et si vitia & errores paulo acrius reprehendant, modestia tamen fines non exceedunt, veritatem, quam profitentur & tenent, docere contenti. Siquid autem occurrit, quod in questionem jure vocari possit, in campum lubenter descendunt, disputationis eruditæ & modestæ certamen nec declinant nec detrectant: sed pedem amicè conferunt, loca locis, argumenta argumentis, exempla exemplis, temporatèporibus, personas personis opponunt: unde controversia utring diligerent excussa & disceptata, veritas elucescit & confirmatur, quâ postea ad Dei gloriam & publicam salutem stetur. Ne te ô magnanime Rex, tam multis magnisq; rebus iam intentum & omnino affixum pluribus morer, in tua perduelliūg caussa hoc ipsum perspici potest. Illi enim, ut ab iis descendì initium faciam, & in te mox desinā, injustissimam regni alienationem, conflata iam dudum omnium ordinum conjuratione, perfide moluntur: ac ne, quod palam (bo-

norum quidem omnium iudicio) nefarium
& impium est, id nulla causa freti aggredi-
videantur, religionis nomen conjurationi
suæ obtendunt: speciosum sanè prætextum,
quo plerique delusi & pæne dicam fascinati,
scelerata hanc cum perduellibus istis ever-
tendi regni societatem ineuntes, vivi vi-
dentesq; pereunt. Hæc illorū causa est. Quo
tandem modo eam defendunt? armis, in-
cendiosis, rapinis, cædibus, venenis, merce-
nariis, homicidiis, sacrilegiis, dum nec sa-
cris rebus (quarum vindices videri volunt)
nec profanis, nec sexui, nec ætati, nec perso-
nis, nec dignitati, nec tuæ etiam, quam re-
vereri & colere imprimis debuerunt, maje-
statiparcunt, non tuo tantum regno (cujus
maximam partem occupatam tenent) inhi-
antes, sed tuæ etiam insidiantes saluti. Sab-
tem si in sua causa propugnanda paulo mo-
deratius & humanius, ut patriæ religionis
que studiosi aliquantulum viderentur, se ge-
rerent. At eāne est recta & legitimare reli-
gionis propugnanda, & hereseos, cuius tuā
Majestatem falso insimulant, sanandæ &
extirpandæ via? Ad hæc etiam tam multas
injurias accedunt Papæ Romani Bullæ, &
contor-

contorta in te tuosq; omnes fulmina, quibus
tēg; vulgo rerum imperito odiosum & exe-
crandum reddere, tuosq; tibi addictissimos
cives à tua, si possint, salutis & dignitatis
propugnatione avocare tentant. At, ô Chri-
stianiss. & potētiss. Rex, & tua causa iustis-
sima est, & sancta legitimaq; illius defendē-
dæ ratio. Regni enim successio in nullam jam
cōtroversiam dubitationēq; vocatur. At de
religione, inquiunt, agitur: Verūm religio
non armis, sed argumentis dījudicanda est:
non perduellione, sed sacra scriptura vindi-
canda: non impio bello, sed pio concilio illu-
stranda & comprobanda est. Rationi autē,
scripturæ sacræ, concilio iam pridem te cru-
diendum offers, iisq; libenter cessurum &
regiè & sanctè asseris: ut gravissimis scri-
ptis sape testificatus es, & precipue Decla-
rationibus aliquot (fidelissimis tui cando-
ris, ingenii, consilii & propositi testibus)
quas ideo nō ita pridem Latinas feci, ut non
Gallis tantum, sed aliis etiam omnibus, ad
quas eae pervenirent, caussæ tuae veritas &
& quitas patesceret. Præterea cùm vir qui-
dam pius & eruditus, idemq; tui observan-
tissimus edito lingua vernacula libro erudi-

tè caussam tuam confirmasset, & omnia, quæ contrà objiciuntur, verè ac perspicuè refutasset: illū ego eadem ratione motus, in Latinum etiam sermonem converti, unde cæteræ nationes abundè discerent, quām justa tua caussa esset, & quām injusta horum bellorum occasio, ut re tota penitus comperta, ad justissimam tui defensionem unà tecum suscipiendam excitarentur. Cùm enim cōjurati isti nec rei veritate, nec justitia, nec pietate, nec consiliis, nec æquissimis à te propositis conditionibus à nefario suo cōsilio abstrahi possint, sed in justis armis regnum tuū magis ac magis usurpare, & ad Hispanum transferre pergent, atque in eare modis, artibus, machinisq; omnibus enitantur: AEquum est profecto atque adeò necesse, pienissime Rex patriæg; amantissime, ut, si & tuæ, & tucrum, totiusq; regni saluti consultum velis, justam caussam justis rationibus necessariisq; armis propugnes, regnum tuum è luporum istorum fauibus eripias, bonos tam indigna & atrocia tecum passos recrees, eos patriæ, iisq; patriam restituas: atq; pietatem & justitiam (quò tua consilia & arma omnino spectant) conjuratorum perfidia &

dia & pertinacia afflictas ac profligatas eri-
gas & stabilias, pacemq; solidam, quantum
in te erit, constituas. Ast restat unus non
tibi quidem, qui meliora & sapientis,
sed tuis tum Gallis, tum externis etiam ali-
quot, veteris historie & cognitionis rerum
non satis peritis, à Sfondrato nuper injectus
scrupulus, unde fortasse aliqua caussæ tuæ
minùs constanter ab illis propugnande oc-
casio nasci possit. Verum huic quoq; malo ab
eodem superioris libri auctore, præsens hoc
piò simul & erudit o libello remedium adfer-
tur, quo bullarum istarum vanitas ostendit
ur, infirmiorū animi adversus hos ina-
nes metus confirmantur, atque ad caussam
tuam alacriter fortiterq; defendēdam tum
optimis, tum verissimis exemplis edocēti ex-
citantur. Libri hujus probè intellecti utili-
tas & necessitas, tum piorum tuq; aman-
tissimorum virorum, qui de eo Latinè ver-
tendo mecum egerunt, consilium & aucto-
ritas: denique (quod dicere primò debui)
summa mea erga tuam Majestatem obser-
vantia, illique obsequendi & patriæ pro mea
parte consulendi voluntas hic me adduxe-
runt, ut cum etiam in Latinum sermonem

convertebam: unde Germania quidem tota, Anglia, Scotia, Helvetiorum gens in fide, in sancta hac societate, in proposito suscep-
toque nostri defendendi consilio perma-
neant: magna vero Italia pars, & Hispania tota hujus regis & regni, immo Chri-
sti & religionis verae hostes, aut sapere discant,
aut quod nobis exitium machinantur, sibi
ipsis certo impendere sciant. Tu vero, rex
Christianissime, optima conscientia, causae
equitatem, honorum omnium precibus, fortis-
simorum populorum tum Gallorum tum ex-
ternorum praesidiis, sed Dei imprimis, cuius
& causa (non tua tantum) & nomen &
cultus hic aguntur, bonitate & misericordia,
justitiaque nixus, ridiculis istis Bullis, &
infestis hostium armis contemptis, fortiter,
ut facis, in hanc causam incumbe: nec prius
a justissimatu, regnique defensione pie &
necessario a te suscepta desiste, quam hac to-
ta coniuratione, cojuratisque omnibus fun-
ditus extinctis, Deo suus honos, Ecclesiae
sua dignitas, Galliae sua libertas per te tuo-
rum votorum compotem factum restitua-
tur & constet. Quod Deus Opt. Max. quo
tu praecepue uno & niteris & confidis, faxit,
ac vi-

A D H E N R I C . I I I I . II

ac vitam tibi tuisque omnibus longissimam
& felicissimam largiatur. Vale ô Rex Chri-
stianissime, atque hunc (quem mihi unum
vendico) vertendi alieni operis laborem à
me tua gratia susceptum, tuæque etiam Ma-
iestati dicatum, summissaque oblatum pro
tu singulari candore, & verè regia huma-
nitate, serena fronte accipe. Sedani è Mu-
seo nostro 2 Augusti 1591.





Tuss. Berchetus pio & candi-
do Lectori S.

NIRANTUR hodie multi quoniam malo genio, quovis fato nostro bella haec civilia aut natata sint, aut alantur tandem, et magis in dies augeatur, itaque propagentur et confirmantur, ut nullis quaecunque opponantur, nec opibus, nec viribus, nec rationibus, nec machinis labefactari, percelli, interrire que omnino possint. Non abs re quidem id mirantur, et dolent etiam, ob rei, qua tam multa secum mala invehat, et pietati iustitiaeque interitum minetur, diuturnitatem et magnitudinem. Verum si admiratores illi, et animorum nostrorum pravitatem, et corruptelam morum, et vitæ labem, ac gravissima, quibus ea tota scatet ac sordet, vulnera sibi ob oculosponant, et quod proximum est, in tot ac tantis, quibus laboramus, morbis nullam ferè sanitatis speciem et spem reliquam esse considerent, non amplius mirabuntur: sed dolebunt nihilominus, quod de morbis nostris curandis nullo modo nec cogitemus, nec laboremus. Vitia haec sunt, ut uno verbo dicam, et scelera, bellorum et calamitatum fons et caput: quibus nisi extirpatis, nullus miseriarius finis sperandus videtur. Non persequar

omnia,

omnia, quia & infinita sunt & alibi ab aliis explicata satis, sed majori quidem illorum, qui sapienter ea differuerunt, & nos ad meliora erudierunt, laude, quam nostra, qui nec ullis praeceptis moniti sapere, nec ullis malis affecti respiscere possumus, utilitate. Et quid pluribus commemorandis tempus teram, cum si avaritiam & ambitionem teterrimas animorum pestes, una bellorum caussam esse dixero, complexus omnia fuisse videar? Hic unus malus genius est, qui nos tandem vexat: hoc ipsum est illud factum, quod & privatis rebus detrimentum, & publicis exitium adserit. Infestus ille est morbus, qui pietati & justitiae, qui Galliae nostrae, qui Ecclesie universae extremam, si quâ possit, perniciem machinatur. Quis enim jam tanta aut cæcitate, aut stupore, aut perversitate est, qui non videat, non sentiat & fateatur impia istius & perfida coniurationis caussam unicam esse ambitionem, & e hujus comitem avaritiam? excipio conjuratos ipsos, qui speciosum religionis (cujus se vindices profitentur) nomen nobis obtendunt, & ea se unâ permoveri ad capessendum hoc bellum dicunt, ut ea in antiquam scilicet dignitatem suam restituatur. At eos ipsos potius testor, si modo conscientia convicti, quod sentiunt, aperte eloquivelint, ànon religione evertant potius quam stabiliant: ànon Ecclesiam expugnant potius quam propagnent: ànon majorem usurpandi regni, quam vindicandæ pietatis curam gerant: ànon majorem Hispani, quam Christi rationem ha-

14 AD L E C T O R E M.

beant: ànnon deniq; magis de privatare augen-
da, quam de publica aut ornanda aut amplifi-
canda laborent? De iis etiam ipsis, si modo quid
sapiunt, quāro, an ea, quam inēunt, vera & legi-
tima sit restituendæ, si collapsa est, religionis via
& ratio? Certè priscos pietatis tum fundan-
da & edificanda auctores, Deum, Prophetas,
Christum, Apostolos, & alios pios Doctores:
tum eiusdem confirmanda adjutores, ut Impera-
tores, Reges, Principes, piasque Respublicas, &
populos si consulunt & audiunt, longè aliam viā
inibunt, longè aliam rationem sequentur. Sed
(ut non minus verè quam festivè dicitur) fi-
melicus venter auribus caret: vasana illa &
habendi & dominandi fames nihil audit, donec
plene satiata fuerit, si plenè tamen unquam sa-
tiari potest: quæ contra quò plura absorbuit, eò
plura appetere, & gazas gazis, regnaque regnis
cumulare & solet & gaudet. Sed mittamus
jam conjuratorum sordes ac perfidiam: & ad
nos ipsos, qui puriores videri volumus & fi-
deliores haberi, jamjam veniamus. Ingens fa-
teamur necesse est nos hujus culpe, vel gravissi-
mi potius sceleris consciös & socios esse, qui na-
scens hujus impiæ conjurationis monstrum non
oppreßimus, & jam natum, ne adolesceret, non
extinximus: immo illi cùm nascenti (ea fuit
nostra secordia) prestò fuimus, tum quæ nostra
aut perversitas, aut inertia, aut perfidia fuit,
natum aluimus, & eò usque eveximus, ut
jam nec opprimenti, nec extingui posse videatur:

Alit

Alii enim de rei exitu dubii, medii & securi
desident: alii pecunia corrupti in propriam
perniciem ruunt: alii honoribus inhiantes pa-
triam produnt, & libertatem servitute, Hispanum
crudelissimum superbissimumque tyran-
num, Gallo humanissimo & moderatissimo re-
ge commutant: pietatis, libertatis, fidei, in pa-
triam & suos, seque adeo ipsos amoris & officiis,
natura denique totius obliti, neque solum, sed
hostes potius, vexatores, & afflictores infestissimi.
Hac igitur tantæ malorum gravitatis & diutur-
nitatis causa breviter explicata esto. Neque
enim mihi declamatio ad hæc dilatanda institu-
ta est, sed prefatio, quæ brevitate cōtentā, contra-
etiorē me esse iubet, quam & rei natura, & mea
consuetudinis atque instituti ratio ferant. Hu-
ijsce tamen diuturnitatis causam alteram si po-
stulas, hanc verè subjiciam: Nempe Hispanum
regem, atque Romanum Pontificem, illius, de
quæ diximus, ambitionis & avaritiae ministros
& instrumenta præcipua, vel potius artifices &
architectos summos: quorum ille suis nummis,
hic suis Bullis, interque seditione, dolis, scelere,
atque libidine, & ira quidvis permiscet, captat,
corruptit, rapit, perdit, donec & omnes & o-
mnia sue tyrannidi subjecerit, & ita quidem
affixerit ac prostraverit, ut nulla unquam ra-
tione ne exurgere quidem, nedum consistere
possimus. Mirum tamen istud & perquam
deplorandum, quod nos in tanta & injuria
indignitate, & mali gravitate, pristinæ virtutis

& libertatis immemores, Marranis istis & mer-
 cenariis Marranorum satellitibus & manci-
 piis Sabaudis, Lotharingis, & Guiis nostras o-
 pes, vires, & animos tam frigide & lente oppona-
 mus. Turpissimum hoc quoque & pene ridicu-
 lum, quod nescio quos Caprarios & Sfondratos
 Bullis, hoc est meritis nugis (quibus ne pueri qui-
 dem hodie moventur) armatos sic reformide-
 mus: quos potius Majorum nostrorum exemplo
 ridere, persequi & multare decuit. Sed Hispa-
 nū fraudibus, insidiis, tyrānide, & nummis, quam
 gladiis, virtute & viribus validiorem ac formi-
 dabiliorē jam omittamus: redeamus ad Roma-
 nos pontifices rerum omnium Dominos, qui nec
 Christi nomine, nec religionis caussa moti, sed u-
 nā tantum avaritia & ambitione, atque eorum
 à quibus spernuntur, & de ea, quam sibi immer-
 ito arrogant, dignitate deturbantur, ulciscendo-
 rum cupiditate abrepti, has nobis turbas faciunt,
 has tragædias excitant, has bellorum civilium
 faces accendunt, ut soli sine controversia domi-
 nentur, & nos suis artibus, si consequi id possint,
 ad Barbariem & ignorantiam redactos, suis Bul-
 lis & excommunicationibus Panico metu terreat,
 & ita suis pedibus subjiciant, ut ne hiscere qui-
 dem audeamus. Notum est omnibus, quomodo
 Germanos Imperatores quondam habuerint, do-
 nec pristine virtutis memores se tandem college-
 runt, & pontificiis istis Bullis forti animo resti-
 terunt. Quid de Gallis nostris dicam? sed tū res
 ex Annalibus nostris satis cognita, tum proposita
 mihi

mihi brevitas decòri me monent, atque ad multa, quæ ex hoc libello & aliis nuper editis peti debent, prætermittenda hortantur: ut quod præsentis instituti magis proprium esse, & ad libri argumentum pertinere videtur, id maximè attingam. Non igitur repetam Bonifacios, Benedictos, Julios, Gregorios, & ceteros ejusdem furoris ambitionis & tyrannidis Pontifices: sed de Sexto tantummodo agam. Deum immortalem! quo in regem nostrum & Henricum III, quem suis cōsilii trucidandum curavit, furore est debacchatus? quo animi impetu correptus in utrumque se viciit? At Dei, qui ejus tela retudit, bonitate inanes fuerunt illius conatus, & bruta omnino fulmina. Verum enim vero dum animo suo momerit, dum Hispani libidini servit, dum Ecclesia Romana dignitatem & sacrae sedis autoritatem tuetur, pius esse pontifex, & verus Petri successor prædicatur: Immortalitate etiam & Divorum consortio dignus putatur. At Urbanus illius successor ingenio longè dissimili præditus, & ad pacem quam ad bellū propensior, quia minus a natura ad furiosa Sixti cōsilia exequēda comparatus & aptus esse videbatur, cùm paucos tantum dies in sede Pontificia moratus esset, à cōjuratis, quorum caussam nec probabat nec promovere curabat, è medio sublatus est. Sfordratus in Papatum illi successit, qui ne in Urbani vicem succederet, & ne Hispani & Hispana factionis expectationem falleret, atrocissima & gravissima quæque in Gallia regem regnumque

ipsum machinari, & quidquid auctoritatis ad potentia sui decessores sibi usurparunt, ad utriusque perniciem & eversionem conferre decrevit: In Gallia, Nobilitas, & reliqui fideles Galli sece erga regem suum optimè Dei beneficio animatos esse ostendunt: unde conjurati & familia regiae interitum, & Gallici regni ad Hispanum abalienationem, quam jamdudum cogitant & moliuntur, se posse unquam assequi desperant: Nullum vero praesentius efficaciusq₃ remedium esse uspiam putarunt, quam si Papa veterem illum & rubiginosum gladium, quo majores ipsius instructi cum Germaniae principibus & aliis bella gesserūt, expromeret: atq₃ sua tonitrua & fulmina maximo cum sonitu & fragore ubique audienda ad terrendos hominū animos, & aliquem religionis scrupulum iis injiciendum, contorqueret: quo perculsi & perturbati, singularem suam, omnia que a Deo mandantur officia regi ac regno præstandi voluntatem (quam hactenus perpetuam & constantem habuerunt) immutarent, planeque abjicerent. Sfondratus præcolum illud Hispani & Gallie conjuratorum consilium sequius, à novissimis Martiis Calendis duas Monitorias Bullas stylo Papali a se compositas Rhemos per Marcilium Landriatum Referendarium suum hoc maxime consilio & animo misit, ut eas per totam postea Galliam dispergeret, qua veneno suo magis ac magis imbuta, coniurationem vehementius confirmaret. Ex iis altera ad Nobilitatem & reliquum popu-

populum, Altera ad Ecclesiasticos & ad Cardinales maximè, qui stant cum rege, mittitur.
Queris, lector, ad quem finem? Dicam hic paucis, quod fusi postea auctor proponet ac refutabit. Papa unica religionis specie, & heresos (quam impudentissime conjurati per calumniam & maliciam confingunt, suaque in regem persidie falsissime pretexunt) criminis ductus, nulla omnino nec regii juris, quod nullo pacto convelli potest, nec divini mandati, quod nominatim de obedientia regibus & principibus exhibenda sancitum est, ratione habita, tum hos tum illos admonet, immo & imperat, ut à rege si non jam defecerint, quam primum deficiant, atque ad alium recipiendum colendumque se comparent. Quem (inquires) regem nobis constituere in animo habet?
 Hispanum, inquam, cui totus hic desudatur labor, ad cuius sitim non prorsus quidem secundam (unus enim Hispano regi non sufficit orbis) sed nonnihil restinguendam hac tota conjuratio conflata est: hac arma, hi exercitus, haec faces spectant. Vide quam verè Sfondratus CHRISTUM spiret, PETRUM referat, utrinque modestiam sapiat, & imitetur: qui non contentus hac nefarie monuisse, militariter etiam vel tyrannice potius comminatur, nisi certo & à se prescripto tempore imperanti sibi pareatur, eos omnes execraturum, atque ad tartara ipsa detrusurum, Ecclesiasticis sacerdotiis sua excepturum, denique

rerum omnium sacrarum communione & usu
iis omnibus interdicturum. Sani quidem homi-
nes Sfondratum ut insanum & furiosum me-
ritò ridebunt, qui talia praterfas & ius omne au-
deat: At ceteri, iisque ab nimium multi, qui,
quam inania hæc Paparum fulmina sint, quam
parvæa veteres Galli fecerint, quamque vana
sit tanta ista, quam nobis ostentant, potestas &
auctoritas, non satis intelligunt: ut ne animo con-
sternati & regi, & regno, & sibi ipsis desint, has
brutas vanasque minas libri hujus auctor eru-
ditio sanè & pio scripto eludit, atque tum gravissi-
mis rationibus è sacra maxime scriptura peti-
tis, tum Regum exemplis, tum Senatuū & Aca-
demiarum Decretis ex Gallica historia deprom-
ptis, nefariosistos Sfondrati ceterorumque ejus-
modi conatus accuratissimè retundit: ac docet,
quantum hæc Papæ mandata cum Dei, cuius se-
vicarium mentitur, pugnant, quam impuden-
ter etiam & falso conjurati, omni vero praetextu
destituti, regem & hereticum, & Ecclesiæ ho-
stem incusent. Hanc autem responsionem au-
ctor Gallis primò ac propriè destinavit, in eo
rumque potissimum gratiam & usum Gallicè
conscriptis, & ita quidem clare & perspicue, ut
ab ignaris etiam facile intelligi possit. At ob rei,
qua in eo tractatur gravitatem, & eam que inde
ad omnes manare potest, utilitatem, dignissi-
mum opus esse judicavi, quod Latina lingua be-
neficio ad externos etiam transferretur. Nam
bellorum quidem civilium, quibus Gallia fla-
grat,

grat, rumores ubique terrarum disseminati sunt.
sed dubium non est, quin multi speciosas istas
(quales à Catilinariis obtenduntur) conjura-
tionis faciende, statusque nostri perturbandi
causas ignorent: quibus persane gratum futu-
rum esse puto, si eas vere, ut hic edifferuntur, &
plane intelligent, & certius de iis sermonem inter-
se conferant, atq; miseriis nostris vehementius co-
moti si non opibus & viribus, certe precibus nos-
juvent. At hoc me ad hunc vertendi laborem
multò magis impulit, quod principū & Rerum-
publ. omnium christianarum causā cum nostra
simul agatur. Gallia enim à conjuratis bello im-
pio & miserando prima appetitur. Illic Papa ci-
ves adversus regem concitat, alios etiam a suis
consiliis non valde alienos & ad rebellionem co-
firmandam satis propensos fulminibus territat,
quod facta publica status mutatione, regnū Galli-
cum in Hispani regis ditionem & patescatem re-
digat. Quod quidem si (ut jamdudum machi-
natur) hoc modo assequatur, viam ad cetera im-
periasibi eadem ratione subjicienda patefactam
& per facilem esse putat. Opera vero est pretium
ea de re principes & Respublicas certiores fieri, ut
sibi suisq; rationibus diligenter consulant, & ex
nostris calamitatibus, quod sibi ex usu futurum
sit, periculum (ut ille monet) faciant. Cumq; Deo
suppliciū, ulciscendi sui causa, de nobis sumpturo
visum ita decretumq; fuerit, ut funesta hac fax
in mediis regni nostri visceribus primū accen-
datur: est principum omnium, si bene secum agi

velint, munus, ad hoc restinguendum, quo Gallicum regnum miserè deflagrat, incendiū, priusquam ejus scintillas in sua ipsorum tecta immitti videant, nobis succurrere, præsentemq; opem ferre. Nemine certe tanta ingenii tarditate ac stupore, tanta etiam judicii debilitate esse puto, qui nesciat, quanta sit Hispanorum ambitio, ac dominandi libido: quique aperie non videat eam esse unam illorum mentē, eoque tantum illorum cogitationes & consilia spectare, ut Catholici reges ubiq; terrarum evadant. Germania, Anglia, & aliae satis multæ ditiones id jā expertæ fuerunt. Illi autem, quò facilius optata consequantur, Panpas ad nutum, arbitriumq; suum fingunt, parasitosq; habent, necnon eorū Bullas & fulmina (efficacissimas ad superstitionis & imperitū vulgus contra Principes religionis nomine concitandum machinas) ut olim, sic & nunc totis viribus adhibent. Quod consilium si ex eorū animi sententia in hoc regno successerit, hoc profello exemplum plures in eandem postea calamitate trahet, eritq; nō mediocre p̄tificiæ potestatis argumentū. Bullæ, quas Papa Ssondratus ad nos dedit, uncupantur Monitoria. Et verè quidē Monitoria sunt: quibus nimirum Principes omnes admonetur ut toto pectore de suis rebus cogitent, atq; furiosa ista execrandorum perdiellum, qui omni studio & conatu ad regnorum & Principatusum eversionem perniciemq; incumbunt, consilia serio & sedulo animadvertiscant, quò a comparatis per eos insidiis, certissimamq; ruina præcavere sibi possint,

possint. Ego verò præpotentem illum Deum imperiorum auctorem ac propugnatorem omnibus precibus obsecro, ut hoc regnum eæteròq; principatus ac Res publicas salvas & incolumes conservet, ac pro summa, qua valet, potentia, Paparum & conjuratorum furores coercent, ut antiqua illa & salutari Christianæ Ecclesiæ tranquillitate restituta, Pietas & Justitia, quæ ab his bellis oppressæ & extinctæ omnino jacent, ad ejus nominis gloriam felicissimè ubiq; locoru denio excitentur & vigeant. Atq; hac pro libri quidem mole, quæ non valde magna est, & præfationis etiam (cujus, ut ille sapienter præcipit, evitanda est immodica longitudo, ne in caput excrevisse videatur) ratione, nimis fortasse multa : sed pro argumenti quod præsens calamitas suppeditat ubertate & copia, nimis certè pauca dicta sunt. Verum & decori & meæ quoque imbecillitatì ratio habenda fuit, & nimia illa, quæ sum antea in eodem ferè arguento usus, reprimenda luxuries. Hoc autem, candide lector, qualecumque est, a quo animo accipies, & si qua hic aut minus propriè & eleganter dicta, aut non satis continue & venuste contexta (qualia esse multa fateor) te offendent, ea vel commode transferendi difficultati, vel argumenti generi, vel meæ potius imbecillitati tribues: atque huic in tuam gratiam suscepto labore, meoq; in publicam utilitatem studio gratulaberis. E Museo nostro 4 Augusti 1591. Sedani.



DE DUPLICI DIPLO-
MATE PONTIFICIO, QUOD
BULLAM VOCANT, ORNATIS-
simi cuiusdam viri carmen.

Tu qui bullato duplici cœf fulmine Francos
 Insanus terres, nec te cœlestia terrent
 Fulmina, quæ exitiū præsentib[us] Papa, minatur,
 Ecquid agis? Furiæ te agitant. Te perdite perdis,
 Et proprio ingulas gladio, dum fana profanas,
 Sacrataisque tuum ad nutum vis claudier aedes
 Cœlorum, ut portas. Petri est hoc clavibus uti
 (Si placet id superis.) unde hæc tua rata potestas
 Devotis divum & regum interdicere sacra?
 At quis cordatus te fulmineo ore boantem
 Sfondratū iam ferre queat? quid tu nisi Bulla es,
 Verè homo peccati? cum Bullis teque tuisque,
 Atq[ue] tuo (quis iā timeat?) cū fulmine, terras tet.
 Quo quatis, Altitonas detrusū ad Tartara mit-
 Pro duplici ergo tuo Diploma hoc accipe simplex:
 At duplo & maiore te mox tua pœna sequetur.
 Raro antecedentem scelestum
 Deseruit pœna pede clando. Horat.

IN BULLAM GREGORII
SFONDRA TI.

Ver Pelago insurgit mox tempestate coorta
 Bulla recens, tumidis & levis extat aquis:
 Flucti-

*Fluctibus illudit, plenoque audentior orbe
Enatat, & variis dissipat illa modis.*

*Mox ruit & præceps propenso ad littora fluctu,
Confracta in spumas naufragia tota fluit.
Espumis rursum tenuis vanescit in auras,
Et quae demum orta est, deficit ipsa die.*

*Hec tua sic nostris nuper Sfondrate superstata,
Ingruit, insultat Bulla proterva malis.*

*Huc illuc pavidum in vulgus diffusa pererrat
More suo, atque animos concutit illa leves.
Protinus at sacro correpta furore senatus,
Devota est diris impia Bulla suis.*

*Scissa minutatim, pedibus calcata, repente
Omnibus hac Bulla est fabula facta locis.
Fabula quinetiam in ventos peritura recepit,
Sic bullas idem casus & ortus habet.*

*Et tu hac Dive voca tua fulmina? tu hisce mo-
His cogi Francos in tua vota iubes? (peri
Scilicet hac fortes metuent ludibria Franci,*

*Subscribent monitis in sua damnatauis.
Gallia qua toties hac plumbea tela retudit,
Vixtrix devictas mox dabit ipsa manus.*

*Ergo age Sfondrata cum Bulla, Bulla Gregori
Cumque hac Bullarum pagina tota crepet.
Sint procul à Francis Bullæ lenitasq; timorque,
Sit tua bullatis Bulla timenda tuis.*


**PIUM CONSILIUM
SUPER PAPÆ SFONDRA
TI DICTI GREGORII DECIMI QUARTI**
*Monitorialibus, ut vocant, Bullis, & Excommuni
cationis atque interdicti in Gallia regem, Ec
clesiam, & regnum minis, è Francorum maio
rum nostrorum exemplis in rebus
iisdem repetitum.*



UANQUAM & tempus
 & hostium actiones, ipso-
 rum consilia ita patefe-
 cerunt atque illustra-
 runt, ut nullum iam arti-
 ficium religionisque prætextus obster,
 quo minus aperte omnes videant illos
 eò tantùm spectare, ut hoc regnum ad
 Hispanos transferant, nosque univer-
 sos ad miserrimam servitutem redi-
 gant: sperandúmq; sit, novum istum
 Pontificiarum Bullarum conatum ni-
 hil maius quàm antea effecturum: Ego
 tamen veris ac fidelibus Gallis operæ
 me pretium facturū putavi, si eos hac
 tantilla historiarum collectione non-
 nihil

nihil iuvarem, maiorumq; nostrorum exempla iis ante oculos proponerem, ut super illis, qui de diro illo Papæ programmatae habentur, sermonibus & controversiis, eorum, qui à iusta caussa stant, fidem confirmem, & eos qui ab ea defecerunt, officij sui admoneam. Nostri huiusce regni status à mille & ducentis annis ad hæc usque tempora cum suavissima & singulari libertate conseruatus est: neque id tamen sine gravissimis offenditionibus & iniuriis, quibus alioqui firmissima quæq; & florētissima mundi imperia obnoxia sunt. Hic verò nihil consultius cogitari, fieri q; utilius potest, quam si attentè despiciamus, quid patres nostri præstiterint, ut ab omnibus casibus & periculis, & iis maximè, quæ à Roma fatali & infesta Galliæ hoste emanarēt, & unde nobis per priscos illos Romanos primum servitutis iugum impositum esset, se sartos tectosq; tuerentur: ut id, quo nihil carius & antiquius habere conuenit, eadem prudentia & consilio, iisdemq; artibus & rationibus, qui-

bus nobis hactenus illud conservarūt,
retineamus. Verūm, nō omnibus hi-
storias, ex quibus perspicere hoc licet,
videre contigit. Per multi interim pro-
cul dubio, (quidquid hostes sermoni-
bus suis eructent) summo & sui in regē
obsequij, &c, cùm suæ libertatis, tum
Regiæ dignitatis ac splendoris propu-
gnandi desiderio tenentur: qui tamen
id ipsum multo alacrius proculdubio
præstarent, si scrupuli quidam, qui, quū
de Roma, de Papa & Religione agitur,
eos adhuc malè habent, illis ex animo
evellerentur. Alij, qui Urbes ab hosti-
bus occupatas incolunt, ad sese coniu-
ratorum perfidia distractos, rursus in
pristinam concordiam, confensionēq;
reducendos diligētius multo incum-
berent, si prætextus iste, quo fascinati
tandiu obtorpescunt, & quo eorū au-
res ab ipsis seditionum facibus, & regni
proditoribus assiduè complentur, ex
illorum animis eximeretur. In hoc er-
go potissimum elaborare, & ad publi-
cam hanc caussam, ad quam defendē-
dam optimi quique, patriæq; amantes
viri,

viri, summo studio conspirarunt, pro virili parte aliquid etiam conferre volui. Res equidem tanti refert, ut nulla alia unquam antea magis. Agitur enim hoc ab aduersariis, ut summa & à regis auctoritate planè diversa, in hoc regno constituatur dominatio. Agitur hoc etiam, ut status mutatio fiat, quæ certè omnes regni partes secum trahat necesse est. Mortalis hominis mandatū, Dei mandato planè opponitur: unde nobis magnopere metuendū, nequid hīc offendamus, quod extremam regno perniciem adferat, nisi maturè nobis præcaveamus. Id sanè ad nostros omnium animos excitandos, & ad curam de libertate saluteq; nostra serio habendam plurimū valere debet. Quam quidem ad rem ut adjumenti aliquid hominibus nostris adferā, ego eorum, quæ in hoc aliquando regno in ejusmodi casibus cōtigerunt, historias lectoribus ante oculos fideliter cōstituam, atq; edifferam quo se modo majořes nostri gesserint, quum Papæ sua fulmina hoc consilio immiserunt,

ut nostris regibus, eorumq; potestati
subjectis sacrorum communione in-
terdicerent. Quoniā verò nobis hinc
constabit, priscos illos germanosque
Gallos ejusmodi consiliis nefariisque
molitionibus fortissimè semper resti-
tisse, atq; Papam ipsum, ipsiusq; Bullas
Romam amandasse, cùm tantā illius,
quam in se usurpare conabatur, tyran-
nidem ferre nō possent: Secundo hu-
jus libelli capite rationes, quæ eos ad
id impulerunt, & quid nobis quoq; in
iis observandum sit, pertractabo. De-
niq; omnia ad eam rem, quæ hodie in
controversia & contentione versatur,
acommodabo & referam, doceboque,
ad id, quod Deus iubet, præstandum,
atq; ad regni decus & dignitatem unā
cum libertate nostra conservandam,
nullū usquam præsentius præstantius-
que remedium dari posse, quam si
codem planè, quo illi, & ani-
mo & fide simus.

PRIMA PARS;

*Historiarum quarundam, in quibus de Pa-
parum Bullis & excommunicationi-
bus agitur, Epitome.*

BREVITATIS, quam mihi in hoc
scripto proposui, ratio non fert, ut
quidquid in veterum monumentis de
Paparum adversus reges nostros re-
gnumque nostrum contentionibus
extat, id colligam: hoc mihi jam satis
esse videtur, si ea de re tria, aut ad sum-
mum quatuor maximè insignia è mul-
tis exempla proponam. Quotiescun-
que enim hæc quæstio in controver-
siam vocari cœpit, toties & eodē pror-
sus modo disceptata fuit. Cum igitur
Papæ principem ubique locum & au-
toritatem tenere, atque principum &
principatum, imperiorūmq; univer-
sè & cum summo jure in rebus huma-
nis æquè ac divinis dominos esse in a-
nimis suum induxissent: tardius ali-
quanto in Gallicis regibus, quàm in
Germanis Imperatoribus & aliis Mo-
narchis conatus viresq; suas exprōpse-

runt. Nam ab initio regum nostrorū
ope atq; opera in rem suam usi sunt, at-
que Pipinum , deinde Carolum ma-
gnum, eorumq; successores ad Princi-
patum suum cōstituendum in Italiā
arcessiverunt. Tunc verò summum in
principes nostros honorem, summis-
sionē & obsequium tum oratione, tū
vultu gestūq; toto præ se ferebant. At-
enim postquam illis ita usi vel potius
abusī fuissent, & omnibus aliis princi-
pibus atque ipsis adeò Germaniæ Im-
peratoribus formidolosos sese reddi-
dissent, tunc eos, quibus suam omnem
illam amplitudinem debebant, non
modò non curarunt, sed ne memine-
runt quidem : quin potius militis, qui
à rustico benignè acceptus lautéque
tractatus , in illius ædibus & fortunis
dominari tentat, more & exemplo se-
se omnino gesserunt. Primus autem,
quem hīc cōmemorabo , illorū cona-
tus adversus Philippum Augustum ex-
titit: talisq; prorsus fuit, qualis in Chro-
nicis extat, & ex Innocentii III, qui in
hac tragœdia Papa erat , decretalibus
colli-

colligitur. Richardo Angliæ rege defuncto Joānes, Santerrus dictus, regnū occupavit, quod Arcturus Britānię dux jure hereditario suū esse contendebat, quod ex maiore natu ortus esset. Et quidē contētio eō progressa est, ut ipso Arcturus eorū, quæ Angliæ reges feudi nomine ab imperio Gallico citra māre tenebant, possessionem vicissim occupare aggressus sit. Quod quidē Santerrus ille animadvertisens, iurique suo diffidens, eum crudeliter interficiendum curavit. Arcturi autē propinquū Britanniæq; proceres cædis auctorem ad supplicium à Philippo Augusto deponoscerunt, ctius & Joannes Santerrus & Arcturus beneficiarij, cujusque jurisdictioni, eorum feudorum, quæ in Regno Francico possidebant, nomine obnoxii erant; præsertim cùm ea cædes in ipsius regis imperio patrata esset. Rex caussæ cognitionem iudicisq; iis recusare nec potuit, nec debuit: itaque jure agi cœptum in Patriciorū Franciæ curia adversus Joannem, dieſque illi dicta est, ad quam se ipse in ju-

dicio sisteret. Quod cum recusasset, auditis testibus, caussâ tandem dirempta & ad extremū perducta, regio procuratore palam postulāte, reus ob desertos vadimonii dies damnatus, & suis prædiis ac ditione omni, cuius patronum & vindicem regē habebat, multatus est, iis omnibus fisco adiudicatis. Hoc decretum factū anno 1202. Rex ex eo decreto ducatus Aquitaniæ & Nortmanniæ, aliaq; ipsius Santerri clientelaria prædia in suam ditionem ac potestatem rededit: qua in re Deum sibi adversus multos, qui contrā nitentur, valde propitium habuit. Hic, Joannes suis rebus ita se exutum, ac omni & jure & viribus, quibus tale Patriorum decretum convelleret, destitutum videns, ad Papam, cuius fulmina & excommunicationes potentissimis quibusque Monarchis terrori tunc erant, confugiendum sibi putavit. Papa Innocentius III accurate, ut debuit, quām iusta illa caussa esset, nēcne, quantamq; nomini suo infamie notam inureret, si & parricidam illum rece-

recepitaret, & legibus eriperet, expendere nihil quidquam pensi habuit: sed occasionem oblatam arripere, & in re suam convertere maluit. Joannes si quidem cum venerabatur, illius se clientem profitebatur, ex foedere tum suum illi regnum mancipabat, subditosque suos tributarios facturum, tum Angliam illi beneficiariam & feudatariam habiturum se pollicebatur. Magna vero haec erat potestatis Pontificis amplificatio, qua ad Angliam & Hiberniam usque, Romani olim Imperii fines, ea protenderetur. Papa etiam vehementer laetabatur, datam hinc sibi occasionem esse, per quam & regem & regnum illius adoriretur. Sic enim, cum primùm regi ediceret, ut quod in suam ditionem transtulerat, id Joanni redderet: atq; ad id fisciendum, excommunicationis, quæ tantam vim adversus Imperatores ipsos jam habuerant, minas adderet, illum praemetu & sua in illam sedem observantia, imperio suo paritum, indeque præclarum scilicet regum Galliae & regni to-

tius sub Paparum potestate & auctoritate cōstituti, argumentum fore sperabat. Ergo Pontificia illa sanctitas Joannis caussam tuendam suscipit, suoſque ad regem legatos cum his mandatis mittit, ut arma quamprimum ponat, & quidquid ex decreti auctoritate usurpaverat, Joanni restituat: excōmunicationem, totiusque regni interdictionem comminatus, niſi morem imperanti ſibi gereret. At prudens & cor datus rex ejusmodi comminationibus nihil territus, magnam ſapientiſſimorum virorum, quoſ conſuleret, multitudinem cōvocavit. Res ab iis tota ex cutienda ac definiēda in medium adducitur, atq; hinc quidem, quid, quantumq; officii Papæ deberetur, illinc vero quanti momenti decretum illud eſſet, quanta cauſæ aequitas, quæ denique regis auctoritas, maturè diſpicitur. Ea re diligenter cōſiderata & perpenfa, conjunctis animis & ſententiis, da tur tandem hoc regi cōſilium, ut ſpre tis omnibus Papæ mandatis & minis, illi minimè obtemperet, atque ad fu turum

turum concilium provocet. dictū, factum. Papa verò ægerrimè omniū ferens se adeò sperni, principemq; tantæ audaciæ usquam reperiri, qui jugū suum, & sacræ sedi obsequium recusare auderet, furore pro suo more abruptus, literas, quæ etiam nunc extant, ad Galliæ Clerum misit, speciosis quidem nominibus valde insignes, sed quæ verè ad eum contra Regem concitandum, populumq; seditionibus illius operâ & artibus distrahendū, atque à sua in regem fide & officio avertendum spectarent. Quid plura? omnium finitimarum principum, & Othonis Imperatoris maxime factiōnem ad se trahit, quacunque ratione sibi conciliat, & Galliæ regnum à se proscriptum ad prædam iis proponit. Illorum omnium copiis post paulo in unum coactis, regnum Gallicū in maximo sanè discrimine versabatur. Nihilominus tamen rex magno semper fortique animo fuit, omnesque & Pape & factiosorum furores, causæ suæ bonitate fretus, contempsit. Similiter

etiam Clerus, nobilitas, universusque
populus, quidquid Papa in ipsis regni
visceribus moliretur, à sua in regem fi-
delitate & obsequione minimum qui-
dem avocati unquam fuerunt. Non
est tamen quod quisquam hinc suspi-
cetur regem non summa obedientia
tum Episcopos tum reliquos sacrorum
antistites prosecutum fuisse, ut in Yf-
samberga prima sua conjugi, quam re-
pudiaverat, satis id docuit: nam & ad-
monitionibus erga se adhibitis paruit,
& Ecclesiasticas censuras pertimuit.
Verum simulatq; auctoritas illius peti-
cœpit, compertumq; est Papæ cogita-
tiones & consilia eò pertinere, ut po-
testatem suam & imperia ad nostram
usque Galliam, quemadmodum alibi
fecerat, nō sine & regiæ amplitudinis,
& regni dignitatis, & Ecclesiæ liberta-
tis detimento proferret: Tunc ve-
rò rex cum summo totius populi con-
sensu, nefariis Papæ consiliis suam au-
ctoritatē potentiamq; opposuit. Jam
ad secundam alterius Philippi histo-
riam veniamus.

PHILIPPUS cognominatus Pulcher, Philippo Augusto aliquot post annis successit. Eo regnante, Rome qui-¹³⁰¹ dam Papa fuit, eorum omniū, qui in ea sede unquam fuerunt, versutissimus, ambitiosissimus, statuum ac publicae quietis perturbator infestissimus, atque etiam furiosissimus. Ego autem de eo ita loquor, illius temporis scriptores, & eos maximē, qui Paparum vitas posteritati prodiderunt, sequutus. Bonifacius VIII ille ipse fuit. Ille verò dolore dirupebat, quod potestatis & auctoritatis tantum, quantum apperebat, in Gallia non obtineret, atque hoc unum cis Alpes regnum Paparū ambitioni & tyrannidi resisteret. Ad id consequendum, contentionisque faciendum initium, ex suis intimis, quo maximē uno confidebat ac nitebatur, quendam, eumque arrogantem ac inquietum, & ad res novas spirantem adhibuit. Atque ut turbulentum istum cum majori dignitate & auctoritate in Gallia constitueret, Tolosanū Archiepiscopatum in duo membra secuit, novumque Episcopatum, quo illum ornaret,

40 DE INTERDICTO

Apameę, Gallię Narbonēsis urbe, creavit. Id factum regi nō admodū placuit. dissimulatū tamen fuit. Novus ille Episcopus, ut viā ad ea quæ à Domino suo mandata habebat, perficienda sibi muniret, multa in vulgus de rege spargere ac disseminare cœpit, cāq; probroſa & contumeliosa, per quæ odium illi conflaret, & de eo, qui meritò illi deferebatur, honore nō nihil delibaret: aperè palamq; dictitans, se nō in regis, sed in Papæ imperio & potestate esse, ut cæteris Ecclesiasticis viris ad idem audiendū exemplo esset. Historici ajunt ejusmodi sermones de industria ab Episcopo illo jactatos fuisse, ut populus adversus regem concitaretur. Ea verò tempora tunc difficillima erant: Nam ob maxima & diuturna, quæ rex adversus Anglos sustinuerat, & adhuc sustinebat bella, populus gravissimo novorum tributorum onere premebatur, cogebatūrq; rex alia atque alia illi subinde imponere: neq; solūm, sed Ecclesiasticorum etiam fidem atq; opem implorare, & ab iis pecunias, beli sub-

li subsidia, flagitare. Cæterum, cum rex videret Apamensem illum Episcopum in se magis ac magis indignā intolerandāque licentia insultare, novaq; subinde moliri, quibus regni statum in Pontificis sui gratiam labefactaret: postquam diutissimē tātam insolentiam pertulit, iusto tandem dolore & rei indignitate permotus, comprehendi hominem & in vincula conjici iussit. Papa eo acto irritatus, multas magnasq; occasiones sibi ad ea quę animo agitabat efficiunda opportunissimē datas esse tunc putavit. Primū, populum Gallicum ob ingentia tributorum, quibus vexabatur, onera ad factiones & discidia facile inclinaturū. Et revera magnis seditionibus & Lutetiæ & aliis aliquot in locis coortis, regii ministri aliquot trucidati tum furerunt. Idq; pro certo habebatur (Historiæ sic produnt, atque ita in trium Ordinum cœtu propositum fuit) Papam ipsum suis consiliis & artibus hos motus concitasse, carumque cædium caput & auctorē fuisse. Quod ad Cle-

rum attinet, existimabat Papa eū tantā sibi imponi tributa passurum nunquā, proindéq; eum facile eò adducturum, ut à regis caussa regnique defensione descisceret: non intelligens videlicet, aut potius intelligere nolens, id in Gallia non esse novum nec inauditum, præcipuè in Abbatiarū proven-
tu, partem illius quandam in sumptus belli necessarios cōferri, ut monachus

Lib. 5. c. 34. Aymonius in sua de rebus Gallorum gestis historia testatur. Attamen, ut hanc qualemcunq; Cleri offenditionem augeret ac promoveret, ad hanc contentionem aggreditur & incumbit, de Cleri ab oneribus publicis immunitate decretū facit, atq; regem, ut ab ejusmodi pecuniis exigēdis abstineat, admonet. De Apamensi autem Episco-
po, facinus indignum clamitat, quasi rex, cuius iussu factiosus ille in carcere asservaretur, Ecclesiæ hostis & afflictor esset. Nec his contentus, aliud præterea artificium comminiscitur, quo sæpe Pontifices adversus reges nostros usi sunt, ut pia salutariaq; corum consilia impe-

impedirent, & eos apud suos in negle-
ctæ aut violatae religionis suspicionem
adducerent. Etenim regi præcipit, ut
transmarinam in Saracenos expeditio-
nē suscipiat: quanquā is alioqui de Sa-
racenis reprimendis nō valde labora-
ret, qui Venetiarum & Genuæ respu-
blicas, (pacis tempore duo præcipua ac
firmissima Christianorum ab oriente
propugnacula) bello gravissimo inter-
se commisisset, eōq; necessitatibus addu-
xisset, ut Saracenos Ecclesiæ hostes suę
ditionis fines propagare sinerent. Quę
quidem omnia non aliò sanè pertine-
bāt, quàm ut modis omnibus extremā
& regi & regno ipsi perniciēm compa-
raret. Regem enim extra regni fines
amandare, eique ne pecunias ad bellū
gerendum necessarias dę suis exige-
ret, interdicere, nihil profecto aliud
erat, quàm regnum omni ad sui defen-
sionē ope ac subsidio spoliare, & facilli-
mam Anglis aliisque hostibus ad illud
invadendum atq; diripiendum, viam
aperire. Rex itaque non ignorans,
quantæ curæ & cōmendationi sibi esse

deberet regni à Deo suæ fiduci concredi conservatio: sciens præterea quid sui sibi deberent, quæ sua etiam esset auctoritas: statuit eorum, quæ à Papa præscriberentur & præciperentur, nihil planè sibi faciendum esse. Ibi tum Papa furere, & per Archidiaconum Narbonensem Bullis & mandatis instructum regi imperare, ut Apamensem Episcopum vinculis solutum dimittat, nihilq; tributi de Clero exigat: nominatim hoc illi edicere, summam in hoc regno, etiam in rebus temporalius, auctoritatē penes se esse: his nisi rex pareat, hancq; dignitatem & jus sibi sponte sua concedat, diro se & exsecribili anathemate illum cōfigere, regni jus illi abrogare, illudque facte sedis possessioni jure caduci adscribere: eos omnes, qui Papæ summum jus in Gallicum regnum esse negaverint, hereticos censere. Historici aliquot ipsa excommunicationis verba referunt, hæc scilicet, ut rex pronuntiaretur hereticus, schismaticus & Ecclesiæ hostis: idoque, ipse unà cum uxore & libe-

liberis à sacrarum rerum piorumque
virorum communione & concilio ab-
dicatus: quæ excommunicationis for-
mula vulgaris erat, & in Imperatores
aliosq; nonnullos sæpenumero usur-
pari solita. Immo verò Bonifacius fu-
rorem furem, ac scelus scelere cumu-
lans, hoc etiā addit. Nā ut sua fulmina
formidabiliora & horribiliora redde-
ret, cæterosq; principes libidinis suę
ministros & actores, pro Paparum con-
fuetudine, haberet, emisit quosdam,
qui Anglos adversus regem sollicita-
rent, atq; regnum Alberto Romanorū
regi eo consilio tradidit, ut bello eum
peteret. Interim Cardinalis Mona-
chus in medio regno versabatur, Ec-
clesiasticorum coitiones factitans, ut
ipos primū, deinde per eos popu-
lum concitaret: & quidem nonnullos
jam sibi ad eam rem cōciliaverat. Gra-
vis sanè casus regno à Papalibus istis
fulminibus impendebat, si horrendū
illorum fragorem par eventus fuisset
consequiutus. Verūm, quid rex hīc a-
git? quo animo est? Adversus effræna-

tos Papæ istius furores celeberrimum omnium ordinum conventum Lutetiae agit, ut, quid in re tanta sibi agendum esset, cognosceret. In eo autem inania illa Bonifacii tonitrua ludibrio & contemptui habita, & haec, quæ sequuntur, capita sancta sunt: A Papa ad concilium provocari: Illi interim non parendum: Papam ipsum de omnium sententia, heres eos, simoniæ, homicidii, & aliorum atrocissimorum flagitorum criminibus, quæ ipsi diluenda & expianda essent, manifestò teneri: Auctoritatis regiae esse, eum coercere: aurum, argentum, merces Romam non amplius importandas: Episcopis ab illo in ius vocatis Romam non eundum. Quoniam verò Papa summam potestatem sibi arrogaverat, ac omnia in rebus & sacris & profanis sibi licere persuasum esse nobis volebat: ob idque se posse & regibus & Principibus imperare: atque regnum adeò Gallicum potestati suæ subjicere: quia etiam satis notum & exploratum omnibus erat, dogmata, quæ in regno in vulgus per Episcopos

piscopum Apamensem & Cardinalem Monachum sparsisset, ea ipsa esse: valdeque metuendum videbatur, ne quis in hominum cum aliorum, tum Ecclesiasticorum maximè animis scrupulus inde adhuc resideret: omnes, qui in cœtu illo tunc aderant, cujusvis ordinis homines apud regem professi sunt, quid ea de re tota sentirent, & in iis Ecclesiastici ipsi potissimum: rege postulante, ut omnes ingenuè suam sententiam & aperte proferrent. Ibi demum cuncti nullo modo Papæ se obnoxios, nec cuiquam ulli præterquam regi subjectos esse libere agnoverunt. Tunc rex jurejurando confirmavit se vicissim cum suas vires omnes, tum vitam maximè ipsam pro regni libertate & jure conservando profusurum. idque (ut Chronicon ait) pro consueto more, hoc est, in eadem causa se effecturum omnia, quæ sui decessores aduersus Papas antea effecissent. Ipsa quoque nobilitas & cæteri denique omnes eodem se animo fore testificati sunt. Atque is

Nicolaus
Gilius.

Platina.

Parisiensium comitiorum exitus fuit: quorum quidem ea fuit vis & efficacitas, ut monachus ille Cardinalis è regno mox profugeret. Papæ autem ministri aliquot, qui Trecas usque pervenerant, & comprehensi & ignominiosè accepti fuerunt. Afferuntque Chronographi nostri eum, qui Legatus nominabatur (pro eo honore quo Gallia Dominum ejus prosequebatur) ita honorificè habitum fuisse, ut inde phreneticus evaserit. His aliud præterea & longè gravius accessit. Nam rex Pontifici probare volens, se illius Bullas nihil prorsus facere, eaque potentia, quæ longius latiusq; & efficacius, quam illius, pateret, instructum esse: ducentos egregiè armatos equites Sartæ Columnensis Itali, & Vascônis nobilis Guilielmi Nogareti Samfelicii ductu atq; auspiciis, in Italiam usque misit. Illi verò duces unà cum suis tam præclarè feliciterque rem gesserunt, ut Papam Agnaniæ deprehensum Româ captivum deportarint, ubi præ stomacho & ægritudine supremum diem obiit. Atque

que hæc historiæ hujus summa est. Verum in ea fuere insignia quædam observatuæ dignissima, quæ ab historiis etiam commemorantur. In hac enim regis & Papæ contentionе ultro citroque literæ missæ sunt, quarum alteræ tam insolentem ac protervam in isto Papa audaciam, impudentiam & arrogantiam arguunt, præseq; ferunt, ut id ulli vix homini credibile videtur, nisi literarum ipsarum exemplum in nostris Chronicis tum Gallicè tum Latinè eo consilio consignatum extaret, ut id omni posteritati testatū certò esset. Alteræ verò satis docēt, quām exiguum Papæ rationē prisci Galli haberent, si quando eò furoris veniret, ut aliquam in hoc regnum auctoritatem sibi assumere, & minas etiam adhibere auderet. Hæc igitur sunt Pontificis literæ.

BONIFACIUS Episcopus servus
servorum Dei, Philippo Francorum
Regi, Deum time, & mandata ejus ob-
serua. Scire te volumus, quod in spiri-
tualibus & temporalibus nobis subes:

50 DE INTERDICTO

» beneficiorum & præbendarū ad te col-
» latio nulla spectat: &, si aliquorū vacan-
» tem custodiam habeas, usufructū eō-
» rum successoribus reserves: &, si quæ
» contulisti, collationem haberī irritam
» decernimus, & quatinus processerit,
» revocamus: Aliud credentes fatuos
» reputamus. Datum Laterani quarto
» nonas Decembris, Pontificatus nostri
anno sexto. Regis autem responsio
hæc fuit.

» PHILIPPUS, Dei gratia Francorū
» rex, Bonifacio se gerenti pro summo
» Pontifice, salutem modicam, sive nul-
» lam. Sciat tua maxima fatuitas in tem-
» poralibus nos alicui non subesse: ali-
» quarum Ecclesiarum & præbendarum
» vacantem collationē ad nos jure regio-
» pertinere, & percipere fructus earum,
» contra omnes possessores utiliter nos
» tueri: seçus autem credentes, fatuos
» reputamus atque dementes. Datum
» &c. Atque literatum ultro citroque
» missarum exemplum ejuscemodi fuit.
» Narratur item aliud superbiæ & furo-
ris, acerrimique in Galliæ regem o-

dii in

dii in hoc Pontifice argumentum. Inter istas tam acerbas & pertinaces ini-
micitias atque concertationes, secu-
laris lustralisque jam anni celebritas
(Jubileum vocant) Romæ indicta fuit,
quò infinitæ hominum multitudinis
ex locis omnibus concursus factus est.
Primo Jubilæi die, BONIFACIUS
cultu Pontificio decoratus se univer-
so illi populo spectandum dedit. Se-
cundo autem die, habitu & splendo-
re Imperatorio in medium processit,
nudo ense, qui ante illum gestabatur,
insignis & conspicuus: summâque vo-
ce, utrumque Imperium, nempe cœ-
lestis & terrenum seu temporale, suum
esse pronunciavit. Illud scilicet Evan-
gelium hominibus ad Jubilæum pro-
fectis prædicavit. Alberti Austriaci
Rodolphi filii, quam postulabat, ele-
ctionem antea in Germania factam,
ratam habere noluit, utpote nulla sua
voluntate factam: quum præsertim
utriusque gladii potestatem sibi jam
vendicaret. Atq; illū Principem sup-
plicem ad se venientem, & multa cum

indignitate se prensantem, diu suspen-
sum & incertum tenuit: Tandem ta-
men electionem illius sua assensione
atq; approbatione confirmavit, sed ea
lege, ut ille se Romanorum pariter &
Gallorum Imperatorem profiteretur.
Quātum ad hæresim, cuius fuit in
trium ordinum cōventū insimulatus,
Docti quidam & Catholici viri dicunt
illum in hoc crimen & invidiam voca-
tum fuisse, quod contra Evangelii do-
ctrinam & Apostolorum exemplum,
summam istam regibus & principibus
imperandi potestatem sibi arrogaret.
In illius morte quædam valde insignia
& notanda extiterunt: quo fit, ut ea
Chronici nostri scriptores minimè sibi
prætermittenda esse censuerint. Cūm
enim perversis suis moribus civiū Ro-
manorum malevolentiam sibi confas-
set, omnesq; præ odio sibi infenos &
infestos esse animadverteret, Anagniā
(Hernicorum in Latio urbē) patriam
suam se recepit, tutissimum sibi apud
propinquos & cives suos asylum fore
arbitratus: sed spe sua falsus, ab iisq; ipsis
& pro-

& proditus, & regiis equitibus traditus fuit. Hoc ille nimirū ob prava sua, quibus cives adversus regem suum concitare tentaverat, consilia, pretium tulit. Inde Romām captivus cum summo probro atque dedecore pertractus est. qui cùm in sua illa Santangeli arce *Historia* inclusus esset, alvi profluvio corre-*Floretina*. ptus, in phrenesin, ut fertur, tam dirā vehementemq; incidit, ut manus proprias corroserit & devoraverit: atque in ipso mortis illius articulo, fulgura *Nicolanus* tonitruaq; plane horribilia in eadē ar-*Gilius.* ce exaudita etiam fuisse dicantur. En miserabilis quidē, sed justissimus profectō illius exitus, qui totum orbem fastu suo & tyrannide indignè calcaret, qui se arrogātissimè supra reges & Imperatores ipsos efferreret, atque insolentius iactitaret manus sibi satis esse longas & amplas, quibus summam ubiq; gentium dominationē apprehenderet: qui denique, pro animi libidine dextram diris fulminibus contra reges armatam se habere dictitaret. Platina Pontificum historicus, narrata illius

54 DE INTERDICTO

» morte hæc addit. Moritur autem hoc
 » modo Bonifacius ille, qui Imperatori-
 » bus, regibus, principibus, nationibus,
 » populis tetrorem potius quàm religio-
 » nem injicere conabatur, quiue dare
 » regna & auferre, pellere homines ac
 » reducere pro arbitrio animi conaba-
 » tur : aurum undique conquisitum,
 » plus quàm dici potest, sitiens. hæc ille.

Historia comitis Monfortii Haillamus Galii. Atque hîc nonnulli alii historici piè
 sane & valde appositi & Papas & alios
 facrorum antistites admonent, ut sa-
 pientius vitæ suæ cursum instituant ac
 moderentur, & se intra muneris sui
 fines modestè contineant. Quas qui-
 dem admonitiones si boni illi viri au-
 dissent, non tot tantisque malis jam
 res humanæ concuterentur & afflicta-
 rentur. Papa iste omnibus scelerum &
 flagitorum notis ita insignis fuit, & ad
 omnem posteritatem nobilitatus, ut
 in sempiternam illius memoriam Epi-
 taphium hoc scriptum fuerit. Intra-
 vit ut vulpes: regnavit ut leo: mortuus
 est ut canis. Rex, ut quidam histori-
 cus Anglus scriptis prodidit, à succe-
 sore

sore ossa illius petiit, quæ tanquam hæretici cōbureret. Talis fuit Paparum, qui se contra reges nostros commoverunt, & eos suis fulminibus petiverunt, status & conditio. Regis constantia & virtus, Gallorum quoque studium & fidelitas in hac tota re, quæ ad Bonifacium attinet, tam magnæ illustresque fuerunt, ut cæteri, qui se-
quuti sunt, Pontifices omnem quid-
quam amplius è Gallia extorquendi spem abjicerent: quin potius operæ se pretium facturos existimarent, si ad Gallorum caussam, & rationes sese ac-
commodarent, & iis quām maximè gratificarentur. Porro successor illius,
ex sua Cardinaliumque suorum sen-
tentia, excommunicationis à Bonifa-
cio decretæ absolutionem ad regem
ultrò misit, qui non modò non eam
rogaverat, sed à Papa excommunicari
ne pili quidē fecerat. Historici enim *Nicolans*
publicis monumentis cōsignatum reli-
querūt, in absolutionis Bulla id nomi-
natim additum fuisse, regē de ea impe-
tranda neverbū quidē fecisse. Papætiā

in suis decretis agnoverunt, & confessi
sua sponte sunt Gallicum regnum Pon-
tificiae sedi nullo modo subjectum ob-
noxiumq; esse: professiq; aperte sunt,
minime se obstare velle, quo minus pe-
cunię & tributa de Ecclesiasticis exige-
rentur, per quæ regno magnitudine ac
difficultate rerum affecto afflitoque
succurreretur. Atque hæc Philippo
Pulchro regnante contigerunt. Jam ad
Caroli vi regnum veniamus.

Qui ejus temporis historias legerūt,
miserum & calamitosum, in quē Chri-
stianus orbis effrænata Paparum ambi-
tione redactus erat, statum noverunt.
Etenim toto 40 annorum spatio, & eo
amplius, duo, tres & aliquādo quatuor
Antipapæ eodē tempore fuerunt, qui
crudeli & exitioso bello sese peterent,
sua quisque factione instructus. inter
multa, quæ inde acciderunt mala, hoc
maxime unum erat, quod cùm plures
essent, unusquisq; rei parandæ inhia-
bat, tantum commodi sibi comparare
studens, quantum si unus duntaxat
Pontificatum quietè obtinuisset. Ad-
de quod

de quod ad fovendum retinendumq;
suum tam numerosum comitatum, si-
mul & eos qui à suis partibus starent,
ingentes sumptus faciebant. Quibus
cūm haud pares essent, cogebātur sin-
guli, ubi auctoritate valerent, maximā
pecuniæ vim exigere, & sacerdotia in
eos qui se ad suam dignitatem tuendā
aggregassent, non sine maxima vitæ
perturbatione, rerumque confusione
conferre. Itaq; regnante primūm Ca-
rolo sexto, gravissimè eadē re apud re-
gem querelæ habitæ sunt, qui edictis
e nomine à se editis, Papæ & Cardi-
nalium quæstores è suo regno ejicie-
bat: item, ne sacerdotia ab extraneis
amplius tenerentur, sanciebat: omnes
sacerdotiorum, quæ à dictis extraneis
possidebantur, fructus sibi subjiciebat,
ac de iis pro suo arbitrio & auctoritate
constituit; & ut breviter dicam, se à Pa-
pæ obsequio prorsum segregavit, atq;
suo decreto, illius, delegatorūq; ipsius
ambitionē & avaritiam repressit. Be-
neditus XIII Pontificatum iniens, se
ad hunc modum frænari, ac potentia-

suæ fines ad regnum usq; Gallicum nō proferri ægrè admodum tulit. Quamobrem severitatem sibi adhibendam, suaq; fulmina & excommunicationes sibi contorquendas statuit , per quas sui metum incuteret , & obedientiam etiam ab invitis extorqueret: non satis secum reputans , & ut videtur planè oblitus , quām malè talia decessorum suorum tela à nostris excepta Gallis antea fuissent. Ea Bulla tum regis, tum regii sanguinis Principum , tum eorum etiam omnium, qui cum rege faciebant, excommunicationem complectebatur. Gallia omnis ea indignitate vehementissimè accensa est, sed Parisiensis potissimum Academia, cuius præcipua mēbra scholæ Theologicæ erant. Ea cum rege de tanta contumelia cōquesta est, additis ad eā ulciscendā, multis, iisq; præclaris admonitionibus. quibus rex permotus, celeberrimum in senatu Parisiensi in eam rem conventum egit. Atq; ex gravissimis Academiæ suæ cohortationibus, de senatus universi sententia edictum fecit,

fecit, quo alia omnia superiora adversus Paparū ambitionem, avaritiam, & usurpationes cōfirmabat, cùm ad Ecclesiæ Gallicanæ jura, immunitates, & privilegia tutanda, tū ad personæ regis, regniq; totius auctoritatē dignitatēq; conservandam: Benedicti illius fulminationum, quibus conciliū opponebatur, nulla prorsus ratione habita. Atq; ii omnes, qui hujus regni constitutions Paparū Bullis postponerent, læsa Majestatis crimine palā damnati sunt. Decretum etiam, Papis nō licere in posterum ullum Galliæ tributum imponere, nisi regis voluntate, quantum quidē ipsi pro necessitatis ratione, cōcedere placeret. Quoniam verò Papa in nonnullos, quos sibi adversarios esse intelligebat, excōmunicationis telum vibraverat, rex liberos solutosq; declaravit. Hoc edictum in maxima clarissimorum virorum frequentia gravissimè sanctissimèq; compositū fuit, atq; in publicis senatus tabulis adhuc assertatur. Hæc autē acta sunt anno Christi 1406. Postea Martinus V. Papa, 1406

60 DE INTERDICTO

iratus pennas sibi adeò incisas esse, infenso & infesto erga nos animo hanc concertationem vetustis illis excommunicationis & interdicti artibus renovare tentavit: sed in ea re nihilo sanè plus, quam cæteri, promovit. In his autem Paparum controversiis multa intervenerunt perquam sanè memorabilia, quæ silentio præterire nō pos-

Tractat. C. sumus. Theodoricus Nihemius histo-

riographus suæ historiæ inseruit Academiæ Parisiensis super ea re Epistolam, petitionis supplicis instar exaratā, cuius hæc summa est & scopus. Papæ literas Bullæ nomine conscriptas, quia contumeliosæ, seditiosæ, imposturis, dolis, & fraudibus refertæ sunt, regiamque Majestatem lœdunt, dilacerandas & in frusta secandas esse: quinetiam, si rei gravitas ita postulet, ad graviorē & probrosorem ultionem (quæ cæteris exemplo & terrori sit) progredendum. Et quidem id re postea cōprobatum constat. Nam in publicis tabulis scriptum hoc reperitur, factum fuisse in hanc sententiam senatus consul-

tum,

tum, ut qui has bullas attulerant, ex Luparæ carceribus per lictores extracti, & ad Palatii gradus plaustro sterco-rario vecti, ad undecimam horam dimisso senatu, coram sacrorum Antistitibus & Clero se sisterent; illicq; hono-raria pœna multarentur, tædā gestates, lineis vestibus, ac mitris chartaceis, cum imaginibus horribili specie depic-tis, & Papæ ipsius insignibus inverso & præpostero modo effectis, per ludi-brium induiti: atq; hoc habitu cultuq; insignes, extremis plaustris alligaren-tur, & à carnificibus ad omnia Lutetiæ compita per summū dedecus & igno-miniam pertraherentur. Id quod articulatim & singillatim effectū fuit. Boni isti viri Papæ ministri Bulligeri, Hispani fuisse dicuntur. Sed hōs jam cum suis Bullis missos faciamus. In regio au-tem adversus Benedictum x i i i edi-to longa est apposita narratio, pias & graves admonitiones ac postulationes à multis Antistitibus & Parisiensi Aca-demia factas continens. quæ quidem admonitiones ut tunc plurimum va-

luerunt, sic nunc etiam plurimū a-
pud nos valere debet, quō perniciosis
Paparum consiliis & molitionibus for-
ti constantiq; animo intercedamus ac
renitamur. Ex autē hoc maximè spe-
ctabant, ut regē docerent, nisi immen-
sa Paparum avaritia, & iniquissimæ ve-
xationes diligenter & feriò repreme-
rentur, Ecclesiæ perniciem & interitū
impendēre: regum hoc esse officii &
auctoritatis, ad Ecclesiæ propugnatio-
nem ac tutelam, etiam contra Papas
ippos, quum eam divexant & oppri-
munt, toto animo & studio omni incū-
bere: Edifferunt præterea, quot casus,
quantaq; vulnera publici status digni-
tatem maneant, si regnum tyrannicæ
Paparum oppressioni subjiciatur. hōc
se fundamento verè niti, se se à Papa
sejungere, nō esse ab Ecclesia se sejungere: sed, quod à D. Paulo 2 Thessal.
3. præcipitur, id ipsum præstare, cùm
ait, Seducite vos ab omni fratre, qui in-
ordinate se gerit. Ecclesiam à Christo
redemptam, & in libertatem vindica-
tam fuisse: itaque nullō modo rationi
esse

esse consentaneum, eam unius , à quo
ita diripiatur & vexetur, servituti ac li-
bidini dedi. Atque ad id confirman-
dum 5 cap. Epistolæ ad Galatas profe-
runt, In libertate, qua Christus nos li-
beravit , nobis esse perstandum , &c.
Immo quum de Papa loquuntur , ty-
rannidis nomen usurpant. Docent
quantopere indignum sit & intoleran-
dum, eum, quem ex Evangelii doctri-
na servum & ministrum esse decuit,
dominum se ad diripiendam Eccle-
siam profiteri. Quin addunt, si Papa-
rum vivendi ratio cum ea Prophetarum
& Apostolorum conferatur, eos
nihil minus quam bonos pastores re-
periri: vel potius, malorum pastorum
notas (quibus à Prophetis & Apostolis
describuntur, & à bonis pastoribus dis-
cernuntur) in iis & multas & certas a-
pertissimè animadverti. Postulant ut
constitutiones de se ab iis separandis
antea factæ, firmè inviolatæq; servētur.
Qui verò Paparū caussam propugna-
bant, persuadere populo conabantur,
si rex edicto sanciret ne Papæ obtem-

peraretur, id esse bellum cum Ecclesia gerere, & ab ea deficere: Deo autem potius quam hominibus pendū esse. Quasi verò Regia edicta, Dei mandatis repugnarēt. Academia Parisiensis, & cæteri, qui ad caussam regis defendendam se cum illa conjunxerant, respondent nulli id impedimento regi esse debere: hæc vana esse verba, & inanem adulatorum, qui volunt Papas omnibus legibus solutos, omnisque commendationis expertes ac securos cum omni impunitate ac licentia vivere, garrulitatem: proferentes etiam ejus rei probandæ ergo, quandam Pelagii II sententiā, quæ in decretalibus extat, eum nō esse persequutorem, qui peccatum aut jam admissum punit, aut ne admittatur, impedit. Quinetiam aliud & longè majus addunt, potestatem, quā Ecclesia Romana exultat & triūphat, meram esse Cōstantini donationem, de qua etiam hodie à Constantinopolitana & Alexandrina Ecclesia & aliis contenditur, eaque, quantumvis reclament, falsa esse demonstratur.

In

In summa, quicunq; sua potestate abutuntur, eā abdicandos esse. Et de iis quidem, de quibus Academia & Galliae antistites apud regem contra Papā differuerant, haec tenus: Eaq; ipsa fuerunt edicti regii in Paparum molitiones & vexationes fundamenta.

POSTREMO, quartam historiam eorū quæ Ludovici XII tempore anno ante hunc vixdum centesimo hac de re contigerunt, superioribus etiam addam. Si ullus alius princeps à Paparum furoribus tutus esse debuit, hunc certè ex omnibus præcipuè unum esse decuit, cùm ob suas præclaras virtutes, tum quòd Julium II multis magnisq; à se affectum beneficiis, quibus vix unquam par gratia haberri poterat, sibi plurimū devinxisset, multis illi restitutis urbibus, quæ à Bentivolis & Venetis occupatæ, & ex ipsius ditione usurpatæ fuisse. Atenim ambitionis quidam æstus, qui superiorū Paparū animos corripuerat planēq; corruperat, & serie quadam fatali ad successores transibat, in Julium istum invasit, omnemq;

illi mentem & rationem ita eripuit, ut
ingrato supra modum fidemq; animo,
inauditaq; perfidia suas omnes vires in
eum converterit, illum si potuisset, to-
tumq; ipsius regnū oppressurus. Nem-
pe stomachabatur, gravissimēq; fere-
bat res nostras in Italia prosperè succe-
dere, nosque, à quibus suorum decel-
forum iniquæ usurpationes, immoder-
atęq; actiones repressę fuissent, nimiū
sibi vicinos atq; imminētes habere. Ex
sinitimis igitur ferè omnibus civitati-
bus factionē sibi conciliat, atq; Hispa-
niā, Angliam, Germaniam, & Hel-
vetios contra regem Galliamq; ad ar-
ma concitat. Cumq; suorum furorum
ac fulminationum ministros ita com-
parasset, Bullam adversus regem pro-
mulgat, eum excommunicat, jus illi
regni abrogat, prædæq; objicit. Guic-

Lib. II. ciardinus ait regem istā Bulla expreſſe
nominatum, atq; hæreſeos & ſchisma-
tiſ reum, pœniſq; obnoxium: Regnū
denique ipsum proſcriptum, & primis
occupantibus expositum fuiffe. Idem
quoq; in Navarre regē Henrici 4 regis,
qui hodie regnat, proavū eſt ausus: idq;

non aliā ob causam, quām quōd à re-
gis cauffa staret; cui ob id regnū suum
ereptum, & ab Hispano ex bellæ istius
Bullæ auctoritate erēptū fuit. Qui de
iis tēporibus scribunt, hoc etiā addūnt,
(atq; sic à Patribus nostris accepimus)
Julium istū libellos aliquot per Italiām
diffeminasse, quibus populi contra na-
tionē nostrā sollicitarentur: neq; id so-
lūm, sed dedisse etiā ei peccatorū ve-
niā, qui Gallū aliquē interficeret: adeò
ut horribilis nostrorū cēdes per univer-
sam Italiā factā fuerit. Rex Ludovicus
ita furiosè petitus, ad consuetum apud
majores suos rēmedium sese cōvertit;
ordinum conventum agit & consulit;
atq; ex optimorum & graviss. virorum
cōfilio celebre episcoporū & aliorum
regni sui Ecclesiastitorum concilium
Turonibus cōvocat. Ibi quid sibi agē-
dum esset, ab eo consiliū petit. Nō fuit
illuc decretum, ut rex Papę fasces sum-
mitteret, morēmq; gereret: sed contrā
hæc sunt præcipua illius cōcilii capita;
ut hodie publicis monimētis cōsignata
extāt: Auctoritatē summāq; potestate

uniū regis in hoc regno esse: Ecclesiasticos, universumq; populum nulli alii præterquam illi, jurejurādo obsequioque obstrictos esse: Regem nulla prorsus in re Papæ obnoxium esse, bonaq; fide & recta cōscientia se ab illo abstrahere; atq; adeò bellū cum illo ad suam dignitatem auctoritatemq; retinendā gerere posse. Hæc in concilio illo Turonensi adversus Papæ Bullas decreta sunt: iis planè congruenter, quæ in superioribus æstatibus eadem de re constituta semper fuissent. Stupendū profectò atq; horrendum est, ea quæ de hujus Papæ vœsania à clarissimis, qui tunc temporis vivebant, viris (ut à Budæo, Philippo Decio, & aliis permultis) scripta fuerunt, legere, & quot quātisq; detrimentis & cladibus Gallicum regnum furiosus iste Julius affecerit & affixerit, ex illis cognoscere. Illius sàne consilia & actiones bonos valde offendunt, ideóq; multis in locis concilium habitum fuit, ut jure in illum ageretur, sed concilium illud ubiq; locorū armis dissolvebat, ut justis, ac suo furo-

lib. 5. do
Affe.

furori debitum, quas vitare non poterat, poenis se se eriperet. Ille copiis instructus, Româ egrediens, adversus regem progressurus, lorica armatus, licet natu jam grâdis, infinita hominû multitudine illic spectandi gratia circumstante, summa voce contendens, cum sancti Petri claves, ait, nihil nobis profinet, gladium jam distringamus: & continuo projectis in Tyberim clavibus, nudumensem manu arreptu toti populo militariter ostentabat. Jam mihi lector considera, quo spiritu ducti & afflati Pôtifices illi fuerint, qui sua fulmina in reges nostros cōtorserunt. Sed nihil suis illis furoribus cōsequuti sunt: Dei nimirum beneficio, qui tanta fortitudine & prudentia tum Reges nostros, tum eorum populos majores nostros roboravit, ut summa animi firmitate, & constantia contra illorum minas & fulminationes parati & armati de jure suo nihil illis remiserint. Possem & alia exempla proponere: sed quatuor hisce contentus addere plura supersedebo, cum in eadem re eodem

*Arnaldus
Ferronus.*

prospero modo adversus eosdem semper
maiores nostri usi fuerint. Atque hoc cō-
silio sanctaque cōstantia regni nostri sta-
tus cōtra furiosos istos conservatus est,
quē pculdubio in miserrimā seruitutē
redegissent, & sexcēties etiā pessunde-
dissent, ut in aliis idē effecerūt, nisi for-
tissimē illorū conatib. obviā itū fuisset.

Hujus constantiae exempla effe-
runt, ut alia quædā Imperia Paparum
excommunicationibus fortissimē etiam
restiterint; unde & optimē sibi suisque
rationibus consultū senserunt. Veneti,
quod statū Ferrariensem in fidē ac tute-
lā suam receperissent, à Clemēte v. sacris
interdicti, Ecclesiachostes indicti, & ho-
stium libidini ac p̄dæ expositi, otioso ni-
hilominus & seculo animo fuerūt. Flo-
rētini eorumq; fœderati s̄pē numero
à Papis petiti, armata illis manu obviā
ierunt, à quibus alioqui oppressi absor-
ptiq; omnino fuissent. Deinde aliquot
post annis Germani, qui superioribus
sæculis illorū cupiditati nimio plus quā
expediret, nec sine suo magno malo
indulserat: itemq; aliæ quædā nationes
è pro-

è profundo quasi somno, quo sopitæ diu fuerat, excitatæ sese tandem collegerunt, & ad Paparū conatus retundendos mirabili omnium ordinū consensu & studio conspirarunt. Sed hæc & alia ejusmodi, quæ in historiis passim occurruerunt, exempla, aliis diligenter exquirenda, & uberi⁹ ac fusi⁹ tractāda jam relinquā, his unis, quæ domestica nobis & familiaria sunt, cōtentus: cùm nullæ usquā extare nationes videātur, quæ majorē in regendis cōservandisq; suis imperiis religionē, prudentiam ac fortitudinē, q̄ majores nostri adhibuerint: & quæ melius quā illi, quid nobis hoc graviss. Reip. tēpore prēstandū sit, docere possint. Ut igitur paucis rē complectar, ex supra dictis p̄spicuū est Papas hisce ex cōmunicationum telis nō nunc demū reges nostros vexasse, funestis bellis petuisse, factiones in eos cōcitatasse, & modis artibusq; omnibus, per quas hujus regni stat⁹ cōvelleretur, religionis nomine tentasse. Ad hęc reges nostros & hereticos & schismaticos. & Ecclesiæ hostes de industria, ut ipsis odiū cōflarct,

appellare consueisse. Præterea omniū harum rerum cauſas, præter invidiam & indignationem, nullas alias fuſſe, ex eo duntaxat natas, quod nō poſſent & leges & reges in hoc regno cū ſummo imperio aut conſtituere, aut de medio tollere: ac reſ tum diuinis tum huma-
nas pro animi libidine diſpensare, ut a-
liis in locis citra controverſiam facti-
tabant. At vicifſim maiores noſtros ea ſemper animi magnitudine fuſſe, ut eorum minis territi nunquam fuerint, ſed contrā strenuifſimè ac fortiffimè iis ſeq; fuáſq; vires objecerint, ad ſuam auſtoritatē regniq; totius dignitatē ac libertatem tuendam. Neque vel te-
mere ea, quæ Papæ de ſuis Principibus deblaterarent, credidiffe, vel ob iſtas fallaciffimè conflictas & impačtas hæ-
reſeos & excommunicationis calu-
mnias, eos amare & colere deſtitiffe:
ſed potiū eorum dignitatē adverſus Papas modis omnibus, & armis adeò iſpis, quandoconque id à ſe peterent,
fuáque opera ad cauſam ita juſtam propugnandam uti vellent, ſe tutatu-
ros.

ros corā iis professos fuisse: haud metuentes adversante hīc & repugnante cōscientia quidquam admittere, cūm nec auctoritate nec ratione ulla eō unquam adduci potuerint, ut agnoscerent & faterentur se ullorum aliorum quam regum suorum potestati subiectos esse. Similiter reges summā semper animi fortitudinem præ se tulisse, non vultu tantum & verbis significando, sed re quoq; ipsa declarando, se de auctoritate, quam à Deo haberent, nihil omnino nec quidquā nec ulli cuiquam, cujuscunq; fortis aut dignitatis esset, velle unquam concedere. Hæc autem posthac nobis accuratius & singillatim explicanda, atq; rationum omnium, quę illos pro suis legibus & regibus adversus Papas vindicandis movere potuerunt, pōdera diligēter examinanda erunt, ut quid & quatenus illorum exempla nos juuare possint, planiūs & pleniūs intelligere possimus.

74 DE INTERDICTO
SECUNDA PARS.

*Compendiaria causarum, quæ Gallos majo-
res nostros adversus Paparum excommuni-
cationes concitarint, & quæ in eorum
constantia nobis observanda
sint, disquisitio.*

ET si nihil aliud quam simplicē co-
rum, quæ à Majoribus nostris ad-
versus Papas facta sunt, narrationem,
unāmq; illorū in proposito susceptoq;
cōfilio constantiā, animiq; firmitatem
haberemus, cùm præsertim tā multa,
tam certa, tamq; cōstantia exēpla sint:
attamen id unū ad incitāda eorum cō-
filia&actiones nobis satis esse deberet.
Sed ubi de exemplis agitur, illa demū
verè certōq; sequimur, quorū rationes
cognosci possunt. Ad intelligēdas autē
majorum nostrorū rationes valde qui-
dē illud optabile fuisset, ut p̄t̄ter eorū
decreta, graves quoq; illorū sermones
sapientesq; admonitiones jam extarēt,
in celeberrimis illis & solēnibus comi-
tiis adhiberi solitæ, quæ regū nostrorū,
quoties à Papa indignè accipērentur,
imperio & auctoritate siebant. Verun-
tamen

tamen satis adhuc inde nobis constabit, nos posse citra ullum scrupulū ac dubitationē, illorum exempla imitari. Illud enim primō magnū est, certò nos scire, quum ita se Papis opponebant, nulla id contéptæ religionis aut minùs sinceri in eā amoris culpâ factum, cùm omniū religiosissimos & pientissimos fuisse inter omnes constet: unde reges nostri hoc elogio dignati ornatīq; sunt, ut Christianissimi cognominarentur. Nisi verò p̄spectū hoc planēq; cognitū habuissent, quidquid adversus Papas dicerēt & facerēt, id sese salvā omnino ac integra cōscientia dicere & facere, ab eo quidē certè linguas, manus, animosq; ipsos abstinuissent, cùm cæteri multi, tū ii potissimum, qui multis magnisq; virtutū ornamentis & existimatione pietatis maximè floruerūt, antea cōmemorati reges: quorū unus per excellentiā Augustus, alter carissimus, & (ut alter Titus ille Imperator) populi deliciæ, aliis item populi parens diti sunt. Præterea quod ea de re factum est, non præcipiti quadam iracundia,

aut solo regum, quibus aliquando peccare contingit, quum nullo adhibito consilio aliquid suscipiunt, motu factum est: sed haec omnia contra Papas decretā, lentē & legitimē facta sunt, sumpto nimirum ad rem māturo judicio deliberandam & concoquendam spatio, atque habitis solennibus & celeberrimis senatus, trium ordinum, & aliquando conciliorum conventibus. Credendumque profetō, in tanto tam clarorum sanctorūq; virorum conventu omnia prudenter ac religiosè consultata, constitutāque fuisse. Quare si sapientum virorū sententiæ, si clarissimorum Theologorū & Jurisconsultorum responsa, si placita senatus, si comitiorum decisiones, & conciliorum decreta legis vim interdum obtinent: eadem certè dignitas & auctoritas hisce cōtra Papas decretis debetur, cùm in iis haec simul omnia concurrerint, observataque fuerint. Atq; hoc persuasum omnino habere debemus, nec rationes, nec fundamenta illis ad ea cōstituenda ac suscipien-

cipienda defuisse. Ut etiam explicatu non admodum difficile nobis erit, cuiusmodi rationes ille fuerint, si eas pa-
lò diligentius exquirere velimus. Ex
Caroli v i decreto videre est priscos
illos patres sacras scripturas usurpasse,
ex iisq; præcipua cauissæ tuendæ fun-
damenta deprompsisse: nec nō in ve-
terum doctorum scriptis, Ecclesiæque
historiis legendis diligenter versatos
fuisse. In illis omnibus, in quibus hæ
patrum adversus Papas controversiæ
maximè viguerunt, æstatibus, clarissimi
floruerunt Theologi, ut imprimis S.
Bernardus, maximi item Jurisconsulti
eruditissimis & luculentissimis scriptis
insignes: in quibus etiamnum extant
querelæ adversus Papas, illis, quæ in
hujus regni comitiis fierent, omnino
similes: ubi etiam quæ in ipsis comitiis
de Paparum potestate, de eorum ex-
communicationibus, molitionibus, &
improbitate ac perversitate habeban-
tur cōtroversiæ, manifestò cernuntur:
additis etiam ibidem illis ipsis, quibus
decreta sua confirmabant, rationibus.

Et quanquam libri illi nō extarēt, unīcē Parisiensis Academiæ in Caroli VI edicto admonitiones ad hujus rei fidē cùm habēdam, tum faciendā satis esse, atq; firmissimas, & quæ nulla omnino vilabefactari cōvelliq; possint, rationes nobis abūdè suggestere possunt. Quintiam his ego subjiciam nostra memoria, Henrici II. tempore, edictum adversus parvas, quas vulgò dicūt, Datas, Paparumq; abusus factū fuisse: ad quod libellus quidam cōmentarii vice cōtinuò accessit, in quo solenniū adversus Papas actuū rationes & argumenta, renovata atq; in memoriā revocata fuerunt. Quem quidē librum bonorū sapientumq; virorū judicio cōprobatum fuisse, ex regis privilegio illi affixo patet: ut illinc omnibus cōstaret, nō esse rem in hoc regno & novā & inauditā, cum Papis cōtendere, & cur id fieret, demōstrare: Quę cum ita sint, hoc meritò nec inviti fateri debemus, majores nostros in hac regū adversus Papas cōcertatione sapientissimè sanctissiméq; se gessisse, eorumq; decreta nobis etiā sunt

num esse debere sacrosancta, & pie in-
violatęq; servanda Ecclesiæ & regni li-
bertatis axiomata: nec rectius quidquā
& consultius à nobis hīc fieri posse,
quam si ea diligenter cū animis nostris
cōsideremus ac perpendamus, ut quid
cōsilii in hac tanta deliberatione dubi-
tationēque capiendum nobis sit, ex iis
hauriamus.

PRIMUM inde intelligimus Ma-
iores nostros ab eo longissimè abfuisse
ut crederent, quod Paparum adulato-
res dictitāt, ut novos scilicet Deos no-
bis singāt, Papas errare nō posse. Nam
si hoc credidissent, iis nunquam repu-
gnassēt, nunquā de illorū injuriis expo-
stulassent, nunquā eos accusassent, in
judiciumq; adduxissent, nūquam etiā
ab iniquis eorum sententiis ad cōcilia
provocassēt. Atqui ea omnia, ut ex su-
perioribus historiis liquet, faciūt, nec
quidquā verentur eos hærescos, Simo-
niæ, ambitionis, tyrannidis, fūrotis &
cædis insimulare: nā ea omnia crimi-
na in actis illis & regum edictis cōme-
morātur. Nempe majoribus nostris id

perspectum & compertum satis super-
que erat, Papas homines esse: quin in-
tegerrimos quosq; & innocentissimos
homines, et si à scelere liberati sint, ali-
qua tamen erroris humani culpa ten-
ri. Non ignorabant D. Petrum ipsum
clarissimum Ecclesiæ lumen, turpissi-
mè lapsum fuisse, alios item præstantil-
simos Dei servos non leviter aliquan-
do peccasse: Denique optimis & per-
fectissimis quibusq; delictum suum ul-
trò agnosceñdum, prædicandum, con-
fitendum esse. Verum ut tam liberè de
Papis loquerentur, hoc faciebat, quod
totam eorum vitam intus & in cute ex-
ploratam haberent: & scirent quali fu-
issent ingenio moribusq; præditi, qui-
cunque à seculis aliquot Romanæ sedi
præfuerint, quid item probatissimi &
spectatissimiviri de iis scripsissent: quid
hoc etiam regnum de iis antea exper-
tum esset, & quotidie adhuc experire-
tur. Per multorum ex iis impietatem,
blasphemias & hæreses, quas Parisien-
si Academiæ necesse aliquando fuit,
& lingua, & manu oppugnare, probè
nove-

noverant: nec eorundē avaritiam, Simoniam, fraudes, denique hominum cædes, & bellorum clades per quas ad Papatū grassarentur, ignorabant. Sciebant & quales essent Bonifacii, Benedicti, & Julii per quos funestis bellis vexarentur. Quantamcunq; igitur istius sedis rationem Majores nostri habèrent, videbant nihilominus in Papas, ut & in reliquos homines, cadere ut peccare possint, nec in facto tantū & moribus, sed in doctrina etiam. Summæ enim, quam sibi arrogant, nobisq; persuadere conātur, potestatis caput, partem quandam doctrinæ esse. in qua pii illi patres Papas ipsos & falli & alios etiam fallere rectè censuerunt, nec ei unquam se subjicere voluerunt.

Cùm igitur Majores nostri persuasum hoc planè haberent, Papas errare posse, non imprudentes religionis, & rerum omnium ignari incautiq; fuerunt, ut quicquid Româ emanaret, id delectu omni ac discrimine remoto, acciperent: quicquid etiam sibi à Papis imperaretur, id ipsum sine ulla du-

bitatione perficerent : tanquā ea, quae simplici & rerum imperito vulgo injicitur, opinione imbuti essent, qua putatur, aliter quām Papæ præcipiunt ac præscribunt, agere, id esse Deo ipius repugnare, & piaculum quoddam admittere. Si patres nostri in ea opinione fuissent, nunquam illis certè hoc in mentem venisset, ut Paparum auctoritatem defugerent. At eam illic adhibuere prudentiam, quę toties tantoque opere in sacris scripturis cōmentatur :

1 Joan. 4. datur : nempe ut probentur Spiritus,
1 Thess. 5. quod bonum est retineatur, à malo ab-
Ephes. 5. stineatur : eam autem probandi ratio-
 nem ex sacris scripturis petunt. Quod ne dubitare possimus, Parisiensis Aca-
 demiæ admonitio, in qua toties scri-
 pturæ sacræ testimonia citantur, ma-
 gno ad id nobis argumento erit. Illud
 quidem certè perspicuum est Ecclesiæ
 fundamenta Romæ ab initio præclaro-
 jacta fuisse, Romanorumque fidem &
 pietatem in toto terrarum orbe con-
 stanti fama atq; omnium sermone tum
 privatim tum publicè celebratam fui-
Roman. 1. sc., ut D. Paulus suo id testimonio cō-

probat. Illic etiam Episcopi satis longa annorum serie & docti & pii floruerūt. Unde factum est, ut illius Ecclesiæ præ cæteris omnibus maxima & dignitas & existimatio esset, ac sententia & cōsilia quæ ab ea prodirent, præcipuū apud omnes locum haberent: quanquā interim reliquis Ecclesiis pro suo jure licet, quæ minimè in illa probaret, eareprehendere ac respuere: ut ex Irenæi adversus Victorē Episcopū de Orientium Ecclesiarū excōmunicatione, & aliorū etiam exéplis liquidò constat: Verū enim vero probi illi Episcopi paucos admodū aut potius nullos sui similes successores Romæ habuerunt: ex quo potissimum tempore & otium & opes auctæ sunt: Ea enim avaritiā, ambitionem, & alias corruptelas sēcū invexerūt. Majores nostros id minimè fugiebat, Papasq; non eodē jam Spiritu, quo primos, regi. Ideoq; ut prudētes cordatiq; viri, quando cunq; mādata aliquot à Papis afferebantur, & rerum & vi- torum delectum prudenter habebant, nec unquam, ut corum libidini per

omnia obsequerentur, adduci poterant. In quo quidem præclarissimum fui in vindicanda religione & libertate imitandi exemplum nobis reliquerunt, nisi planè falli velimus.

Quoniā verò Papæ & minas & vim ad terrendum ulciscendumq; adhibebant, quandocunq; id fieret, ad concilia confugere solebant. Id quod salva conscientiæ fide se facere, jure ipso rei que veritate freti confidebant: quippe qui certò scirent, ut cæteros, sic & Papas ipsos cœluris & correctionibus Ecclesiasticis æquè obnoxios esse: Contrà quām ipsorum adulatores, cliētesque mercenarii sentire videntur, dum contendunt nulli prorsus homini licere in eorum mores factāq; inquirere. At patres nostri didicerant, ubi quid peccatum est, ibi reprehēsioni locum esse. Meminetantq; D. Petrum ipsum à D. Paulo reprehensum fuisse, hancq; esse libertatem vere Christianam, ut citra fastidium & arrogantiam summi quique viri infimorum etiam admonitionibus & animadversionib⁹ sese submittant.

mittant. reprehensionē verò repudia-
re, odiosissimam esse & pñè Diaboli-
cam hominis sua ipsius culpa exitium
sibi arcessentis arrogātiām. Patres igi-
tur nostri libertate verè Gallica Papis
intercedebant, & patronam illam reli-
gionis, ac vindicem libertatis provocati-
onem ad reprimēdos illorum cona-
tus in remedium adhibebāt: hinc satis
probantes se Paparum auctoritati non
tantum tribuere, quantum isti ab illis
non ita pridem nati & alti Jesuitæ, dum
Papas supra concilia esse, persuadere
nobis conātur. Prisci illi patres suos Je-
suitis lōgē saniores & sanctiores Theo-
logos habebant, Gersonem, Occamū,
& alios Parisiensis Academiæ docto-
res, qui contrā semper senserunt & sta-
tuerunt. Tenebāt illud memoria, quid
Ecclesiastici doctores ea de re animo
tenuissent: quid sancta concilia consti-
tuissent & factitassent, & ea maximè,
quæ postrema fuerunt, Constantiense
& Basiliense. Sibi etiā ante oculos po-
nebant modestiam illam à Paparum
nostrorum arrogātiā valde abhorren-

tem, D. Petri summisionem, quum se Ecclesię Hierosolymitanę sistere non recusavit, sui ad Gentiles aditus rationem redditurus. Ut etiam D. Paulus ac Barnabas primo Hierosolymorum concilio interfuerunt, suae profectio-
nis caussas edocturi: etiam si tamen A-
postoli, & longè maioribus quam Ro-
mani Pontifices prærogativis instructi
essent. Nostri ergo Maiores quum à
Paparum decretis ad concilia appel-
labant, sapientiores multò melioresq;
Theologi erant iis, qui Papis nostris,
quales hodie cognitos habemus, sum-
mam & omni exceptione maiorem,
nulla norma, nullaq; mēsura circum-
scriptam auctoritatem attribuūt, idq;
cum tanta licentia & impunitate, ut
eam summa vitæ perturbatio, horri-
bilisque rerum omnium, nisi mature
occurratur, & prouideatur, confusio
inde sequitura videatur. Interim nos
suo exemplo docent, provocationis
auxilium in Ecclesia aduersus omnem
cujuslibet, ipsorum etiam Paparū vim
& violentiam locum habere debere.

In

In eiusmodi autem provocationis ad concilium intercessione hæc erat Patrum nostrorum mens, hic animus, ut, quicquid Papæ suis Bullis & fulminibus tentarent, veluti Regum quos illi hæreticos, schismaticos & Ecclesiæ hostes pronunciabant, condemnationem, itemque excommunicationes & interdictiones tanti per differrent, dum concilium haberetur, illis interim, quasi nunquam indictæ fuissent, irritis & nullo numero habitis. Papæ hinc fremebant, & stuq; furoris abrepti, sua fulmina eò vehementius & amentius quam antea ciaculabantur, omniisque ope & opera, atque armis adeò ipsi contendebant, ut concilij convocationem impedirent: ut Iulius contra Ludovicum 12. Verum Patres nostri constanter in sententia perstabant, non ignorantes quod sit provocationis beneficium & vis: nec metuebāt nequid sibi Paparum tonitrua, & bullæ nocerent.

Prisci ille patres nos ex his docent,
quis sit Iudex habendus in concilio,

quum eò provocatū est, & quid in Ecclēsia cōtroversiis fieri debeat, quum in concilio ex disceptantur. Papa Judicis munus, summumq; decernendi jus & auctoritatem in eo sibi arrogat. Sed patrum nostrorum longè alia fuit opinio. Nam provocando ad cōciliū sic statuebant, Papas illic caussæ disceptioni interfuturos tanquam reos, non autem ut Judices præfuturos: atq; latas à se præcipiti amentia sententias, à quibus jure provocatum fuerat, rescindi & infirmari passuros. Deinde accusaturi Papas, hoc animo & consilio eos accusabant, ut judicio de objectis criminibus se purgaturi adessent: veluti cùm Bonifacius de hæresi, Simonia & homicidio postulabatur. Patres igitur nostri summam potestatem & auctoritatem conciliis tribuebant, ac censebant, quæcunq; controversiæ adversus quoscunque & principes Christianos maximè intervenirent, eas illic non autem in Romano consistorio dirimendas esse.

Hoc etiam in his patrum institutis
obser-

ob servandum videtur, eos nimis, contra Paparum vexationes eorumq; excommunicationes cùm vix possent concilia citò convocari; aut Papæ suis artibus, ne convocarentur, impedi- rent, querelis & supplicationibus apud reges suos & magistratus adhibitis, si- bi suisq; rebus providisse; quippe qui scirent atq; proponerent regū aucto- ritatis esse & munera, eorum, quos in sua potestate habent, curam defensio- nemq; adversus iniqua Paparum im- peria & decreta suscipere. Ita sanè Ca- roli VI temporibus factum fuit. Nam is audita Antistitium & Academiæ Pa- risiensis querimonia & postulatione, rem in cōcilium & judicium adduxit: Clerum, quem Papa tyrannicis vexa- tionibus oppressum tenuerat, servitu- te liberavit, atq; ex cōmunicationum fulmina adversus quosdam contortas, bruta irritaque de communi sententia pronunciavit. Nec verò id aggredie- bantur, cives quidem, ut ad principem suum adversus Papam configurerent: Rex verò & senatus, ut iis de rebus sta-

tuerent (quantum vis ipsi Papæ illius procuratores, qui sibi fecerant in eo consilio audientiam, intercederent): non hoc inquam suscipiebant, quin planè cognitum haberent id sibi rectè ac iustè licere. Viri Academiæ primarij firmissimis argumētis in sua illa admonitione id Regi confirmarunt. At nobis procul dubio habēdū est Regi penitus persuasum fuisse, se à Deo in regiæ dignitatis culmen ideo evectum, ut omnem ordinis perturbationem, rerumq; motum in Ecclesia inhiberet, & eorum, qui suæ fortis immemores & alienæ dignitatis cōtemptores in suis se finibus non contineant, infolescerent, aliosque vexarent, audaciam ambitionemque reprimere, idque decessorum suorum optimorum principum, qui sine dubio illi ad imitandum proponebantur, auctoritate & exemplo. Et quidem Rex ipse in eo decreto palam profitetur, agnoscere se suarum esse partium, eos, quos suæ potestati & imperio subiectos haberet, ab omni vexatione (Pam

pam innuens) eripere, ejusque rei cul-
pam sibi coram Deo præstandam esse.
Atque ex Theodosii, Honorii, Con-
stantini, Caroli magni, & aliorum, qui
eo se modo habuerat similitudine, hu-
jus sui officii exemplum capit. Quod
cæteris etiam ætatis documento sit,
si quid fortè illorum, qui summam to-
tius Ecclesiæ administrationem sibi as-
sumunt, ambitione & avaritia fieret,
quod civibus damnū regnoq; ipsi frau-
dem ac detrimentum adferret, ut po-
pulus quidem ad regem velut sacram
quandam anchoram, sæviente tempe-
state se reciperet: Rex verò pro sum-
ma sua auctoritate, & officii quoq; sui
ratione, illam à suorū cervicibus aver-
teret, viderétq; ne quid regnum detri-
menti caperet.

Reges penitus persuasi eam provin-
ciam ad se pertinere, eam quoque ges-
serunt & ornarunt, non gladio tantum
& armis, quum res ita tulit, usque adeò
sanè ut Alpes ipsos transcenderint. Pa-
pas comprehensuri & culturi: sed etiam,
& præcipue quidem solenni regni sui

Antistitum & Theologorum cōvocatione, concilia provincialia Gallicæ gentis, ex regum auctoritate, priusquam à Papis vexarentur, semper habita fuerant, ut optimus ordo in regni Ecclesiis constitutus integer conservaretur, & necessitatibus difficultatibusq; rerum quæ intervenirent, consuleretur: At ex quo Papæ illis infesti esse, regniq; tranquillitatem interpellare cœperūt, tunc ea propugnaculo & præsidio illis adversus Papas fuerunt, ad concilii usque Turonensis, quod ab ætate nostra propius abest, tempora.

Quod ad primatum, summumque imperium & potestatem attinet, quam Papæ ubiq; locorum sibi sumunt, nullis nec circumscripsi, nec circunscribendi finibus & rationibus, ut velint & sua etiam opinione possint regibus principibusq; imperare, & de Imperiis pro animi libidine statuere, operæ est pretium audire, quid majores nostri in frequentibus illis Theologorum & Jurisconsultorum confessibus senserint. Necdum de hoc regno speciatim loquor,

quor, in quo Papæ hanc nunquam auctoritatem obtinuerunt: sed generaliter, an ita habendum sit de illa quam sibi arrogat dignitate, & quæ ipsis fuit, semper, & adhuc est in suis bullis mandatorum, sententiarum, damnationū, & excommunicationum, quas Romā quounque emittunt, fundamentum. Nunquam verò patres nostri hoc ita habere illis assensī sunt. Nam si de temporali potestate agitur, qua sibi fas esse putant, omnibus humanis imperiis cum summo jure imperare, principesque, reges & Imperatores omnes sibi subjicere, illud quidem erat, quod suis literis & Bullis ad reges nostros missis continebatur: ut in literis Bonifacii nobis suprà cōstitit. Verùm illud quoque ipsum est, de quo præcipue cōtentio adversus eos suscepta erat, atq; adeo id ipsum, quod in Bonifacio, qui se impudentius quam cæteri & arrogantiū de sua illa in omnes & omnia auctoritate jactabat, hæreseos crimen esse dicebatur. Nostri patres probè hoc tenebant, Ecclesiam non esse Imperiū hu-

manum, humanis aliis imperiis simile, sed omnino spirituale: atq; inter Mundi regna, & animarum gubernationē, inter principes ac dominos, qui orbis regnorū potiuntur, & eos qui spirituale regnum obtinent, cācellos quasi quosdam, manifestumq; discrimen nominatim interjectum esse. Quanquam alioqui, quū res quo decet ordine modoq; reguntur ac temperantur, mirifica est hujus cum illo consensus & convenientia: sed non eo pacto tamen ut inordinata debeat esse & indistincta utriusq; potestas & administratio. Patres nostri in his disputationibus aper-
tè probarunt se in sacris scripturis longè melius versatos esse, quam Papas qui pro libris sceptra armaque tractarent. Legerant in Evāgelio quod Christus de seipso (quantum quidē ad hanc distinctionem attinet) & verbo & ex-

Ephes. 1. & 5. Eccl. 1. Pet. 5. Mat. 28. Joan. 17. emplo docuerat. Ille unus verè est Ecclesiæ caput, summusq; omnium Episcopus & pastor. Apostoli hisce cum duntaxat, nec ullū præterea quenquā alium nominibus ornant. Pater omne illi

Ille in cœlo terraque potestatem dedit. Si in ullo alio terrena potestas cum spirituali Ecclesiæ moderatione cōjungi debuit, in illo id potissimum fieri decuit. At, quandiu hîc vitam degit, diligenter sibi cavit ne quidquam admitteret, quo vel minimam suscipienda rerum humanarum administratio-
nis suspicionem hominum animis af-
ferre videretur. Illius adversarii quid ea de re sentiret, tentare voluerunt:
sed ut eam, quam modò posuimus, di-
stinctionem confirmaret, respondit,
reddendum esse Cæsari, quod esset
Cæsar, & Deo, quod Dei. Hinc de-
clarans nō eò se è cœlo in terras venisse
ut ex imperiis humanis vel minimum
usurparet, & ex Imperatorum authori-
tate quidquā detraheret. Quin & co-
ram Pilato rogatus de eo quod ipsi per
calumniam malitiamq; impositum fu-
erat, respondit regnum suūm non esse Matt. 22.
Joan. 18.
ex hoc Mundo. Idem patres nostri
qui id in Evangelio legerant, sic ra-
tiocinabantur ac verè concludebant,
Iesum Christū Episcoporū principem,

96 DE INTERDICTO

aliis, quos Ecclesię suę curatione & administratione ornaret, sui exemplum proponere voluisse: cūmq; gubernationem hanc civilē ne minimum quidem attingere voluisset, ut ex ea quidquam interverteret, ad seqꝫ transferret, absurdum & ab omniratione alienum fore, si alii id cogitarent & suscipienterent. Ita enim eos admonebat, sicut me misit pater, ita & ego mitto vos. Idem alias quoq; admonitiones legerant, quibus apud suos Apostolos usus fuerat, ut perniciosæ isti ambitioni occurreret, quam in mentes hominum irrepturam, & in media sua Ecclesia brevi grassaturam certò prævidebat, quum diceret: Reges gentium dominantur eis: Vos autem non ita estote. Meminerant præterea D. Petrum & alios Apostolos talem vitæ statum ad mortem usq; obtinuisse, atq; Domini Ecclesias ædificare, easque Euangeli prædicatione regere, solum & simplissimum illorum munus fuisse: ita ut ne minimum quidem affectatæ terræ administrationis indicium & vestigium

Luc. 22.

gium in iis unquam apparuerit. Nec
eos præteribat quām studiosè Aposto-
li ipsi, Ecclesiarum seniores & pastores,
(quibus generaliter omnibus dignita-
te longè superiores erant) hortarētur,
ut sub summo illo, quem nominant,
pastore, nempe Iesu Christo, greges ^{1 Pet. 5.}
suæ fidei cōcreditos diligenter pasce- ^{2 Timot. 2.}
rent: ab omni dominatione abstine-
rent, & rerum humanarum cura nullo
modo se implicarent. Hæc omnia pa-
tres illi in sacris scripturis videbant: ad
quæ præterea adjungebant, qualis fu-
isset perpetuus totius veteris Ecclesiæ
usus: quomodo etiam cùm alii omnes,
tum Romani Episcopi, Imperatores
& alios Monarchs pro suis summis
principibus semper habuissent, & eo,
quo modestos & summissos clientes
decet nomine, observantia & honore
appellasent: habebant etiam in suo-
rum regum historiis, post comparatā
sibi in Italia inde à Carolo Magno do-
minationem, ea quæ de Paparum erga
principes officiis, summisionibus, &
obsequiis nominatim & luculēter scri-

98 DE INTERDICTO

pta essent, & quæ hodie etiamnum in
illis extant. Habebant deinde in ma-
nibus clarissimorū doctorum, nec ve-
terum duntaxat, sed æqualium etiam
suorum libros, querelarum de misero
per Paparum ambitionem Ecclesiæ
statu plenos: Itemq; accusationum &
testificationum adversus tam insolent-
em & antea inauditam affectatæ, & u-
surpari iam cœptæ in Imperatores &
principes dominationis libidinē. Nec
desiderabant tam multas, tamq; eru-
ditas præstantissimorum juriscōsulta-
rum aduersus hanc rerum confusio-
nem disputationes: præclaras etiam
lib. de con-
sider. 2, 4. simul & severas & graves D. Bernar-
di ad Eugenium Papam contra effræ-
natam eiusmodi superbiam admoni-
tiones, in hanc maximè sententiam:
Papas, si D. Petri exēplum imitari vel-
lent, nō ita se pro imperatorib⁹ gestu-
ros, sed sarculum potius & pedū ad ex-
colendū Ecclesiæ agrum, & illius gre-
gem gubernandū gestatueros, non au-
tem regum insigne, sceptrum & Dia-
dema. Nusquam hoc reperiri proba-
rique

riq; posse eos tantam potestatem ullo iure habere: cùm eam nec à D. Petro adepti essent, quoniam D. Petrus dare iis non poterat quod nunquam ipse habuisset: nec à Christo etiam ipso, cùm iis ne Principum more dominarentur, prohibuisset. D. Petrum hac regia magnificentia nunquam sibi gloriam & dignitatem quæsiisse, sed unica eorum, quæ sibi Christus tantopere commendasset, meditatione, cùm dixit, Pasce oves meas. Ecclesiæ Romanam posse quidem cæterarū Ecclesiarum matrem dici, at non Dominam: Ipsumque Eugenium, unum ex Episcopis, nō reliquorum vero Dominum. Patres, inquam, nostri hæc omnia non solùm ex Divi Bernardi scriptis didicerant, sed ex ipsius etiā ore exceperant. Ad hæc intelligebat, probra quæ alii præter hunc doctores scriberent adversus istos Romanenses Episcopos, qui se verbo tenus servos servorum dicebant, cùm superbissimum reipsa in omnes dominatum usurparent: quos nihil pudebat

fese adorandos præbere, cùm id D. Petrus à Cornelio tentatum respuisset. Hæc ergo omnia, ut etiam miseriæ & confusiones, itemq; bella & cædes ex Paparum ambitione enatæ bonos illos patres, quibus ante oculos hæc omnia tum in Imperio tum in Italia versabantur, plurimùm commovebant: Eodem quoque gravissimè afficiebāt tam multæ quāplurimis ac fortissimis Imperatoribus, qui pro religione Christiana tuenda ac propaganda tam strenuè feliciterq; adversus infideles trāsmarinos dimicaverant, illatæ ab iis indignitates & contumeliæ, eæq; tantæ, ut modò illum imperio privaret, hunc modò pedibus suis calcarent, filios et jam in patres aliquando sollicitarent: interim dum Satrapæ isti de Imperii rationibus pro arbitrio statuunt, & suis excommunicationibus horribiles ci-vium erga reges suos seditiones, & turbas ubiq; gentium conflant. Hæc cernuntur in Iwonis Carnutensis Episcopi literis ad Papas scriptis, quibus eos liberè admonebat, rebelliones & discidia,

dia, illorum consiliis & artibus in Germania excitata, omnium Gallorum animos adversus illos inflammare. Patres igitur nostri cùm tam multa suis oculis atq; animis subjicerent, nunquā eò adduci potuerūt, ut superba ista terrenæ potestatis nomina in Papis probarent, ferendaq; putarēt, sed ea semper uno ore condemnarunt: Regibus, Nobilitate, & Clero, universoq; populo pia conspiratione ad hoc cōsentientibus, ut viribus suis omnibus impiderent, ne istæ regnum & Imperiorum pestes, nec ista etiam monstruosissima de summa Paparum potestate doctrina (quam Philippus Augustus, errorem regnis perniciosissimū appellabat) in regnum hoc se se insinuaret, & radices ageret. Eóq; factū est, ut ille ipse Philippus Augustus Innocentii Papæ imperia & minas omnino sperneret: ut Philippus alter tā durè & asperè tū Bonifaciū, tum illius ministros acciperet, quasi rem marte aperto hostiliterq; agens: ut etiam recenti hominum memoria, cum Ludouicus 12. in Turonē-

*Matthæus
Paris in
sua histoi-
ria.*

si concilio, ab illis omnibus, qui eò cō-
venerant, quæsiisset, an se pro suo prin-
cipe haberent, omnes, & Ecclesiastici
imprimis (maxima Julii excommuni-
cationum contemptione) uno animo
atq; una voce agnoscere se & profiteri
illum suum & summum & solum prin-
cipem esse responderet. Eiusmodi au-
tem actis & sexcentis aliis, quæ in no-
stris historiis, edictis regiis, & curiæ cō-
mentariis cōsignata extant, patres no-
stri satis testificati sunt summam illam,
quam Papæ in regna & imperia sibi ar-
rogarent, potestatem, intolerabilem
sibi & meram etiam tyrannidem vi-
deri.

Quod autem ad alterum gradū, &
quam spiritualem aut Ecclesiasticam
vocant, potestatem, attinet, patres no-
stri nihilo plus in hoc regno Papis con-
cesserunt, tanquam eos aliquid in eo
juris ex verbo divino habere putarent.
Non quòd reges nostri Episcoporum
& pastorum, (quorū officium est doce-
re in Ecclesia & sacramēta administra-
re) partes agere unquā voluerint. No-
verant

verant utriusque administrationis dis-
crimen, illudque nihil ad se pertinere.
At pastores ad officium omni ratione
cogere: hominum conventus ad res
Ecclesiasticas consultandas necessa-
rios celebrare: electiones usitata & le-
gitima via constitutas confirmare: qui
quantique sacerdotiorū proventus es-
sent, exquirere: ne iis abuterentur
providere: eos in Ecclesiæ & regni u-
tilitatem dispensare: correctionem &
pœnas in suis edictis ad ea quæ perpe-
ram admitterentur coercenda decre-
tas adhibere, hæc verò nostri reges sui
juris & muneris nec cujusquam alius
esse semper crediderunt: illiusq; nun-
quam subditi immo ne ipsi quidē Ec-
clesiastici in eo jure unquam reclama-
runt. Contentiones quidem ea de re
à Papis sæpe factæ sunt: sed potestas
tamen & authoritas penes reges no-
stros integra remāsit. Si quid Papæ hic
obtinuerunt, id certè precariò & bona
regum nostrorū, quandiu ipsis visum
est, venia potius quam ullo prorsus ju-
re obtinuerūt. Negotiorū Ecclesiasti-

corum (in eo quidem quod ad homines pertinet, atq; hodie etiā usurpatur) auctoritas, in ministeriorum collatione & confirmatione, in fructuū sacerdotaliū dispensatione, & in Comitiorum Ecclesiasticorum convocatione sita est. Ex publicis autem monumentis harum rerum omnium jus apud reges nostros fuisse manifestum est. Ad electionibus quidem id ita se habere regum nostrorum in eam rem latæ leges & constitutiones satis probant. Papæ quidem super ea re & Romæ, & in Italia, & ubicunq; plus poterat, suas leges habebant. At hoc regnū iis nunquam obstrictum teneri voluit, sed suā atq; avitam libertatem constanter retinuit, per quam suas separatim de jure suffragiorum constitutiones, regia auctoritate cōfirmatas haberet. Id quod adhuc in comitiorum Aurelianensiū actis testatum videmus. Est verò aliud etiam, & longè majus. Publicis enim literarum monumentis celebratum est, postquam reges nostri ditionis suę terminos Romam usq; protulissent, ac suis in Lom-

in Lombardos & Exarchas victoriis Italiā sibi subjecissent, necesse fuisse, ut Romanorum Episcoporū electiones regum ipsorum auctoritate fieret, nec prius ratæ haberentur, quām illorum testimonio & suffragio comprobatae essent. Ludovicus Pius Francorum rex & Imperator non paucos ad eum modum in Papatum ascivit, & in iis Gregorium 4, qui non antē id munus suscipere & obire voluit, quām de illius voluntate sibi constaret. Ac Platina illum nominatim ait Paparum electiōnem consultò confirmasse, ne Imperii jura amitteret. De sacerdotiorum autem reditu, idem sentiēdum. Regum enim nostrorum edicta in eo legis vim & auctoritatem obtinent, non autem Paparum decreta. Si quid aliquando in Papis tolerabatur, aut siquid sollerter & callidè per nostram incuriam usurpabatur, simulatq; fraus manifeste deprehendebatur, adhibebatur cōtinuò remedium: Paparum ministri & exactores ē regno statim exigebantur; usurpationes præcidebantur, & de illis

agendum esset, ex Regum, ordinum,
& senatus auctoritate ac sententia cō-
stituebatur, tanquam de re, quæ in hu-
iuscere regni potestate planè sita esset, nō
autem in Paparum arbitrio & libidine.
Historiæ nostræ eiusmodi exemplis
refertæ sunt: præcipue à trecentis aut
quadringentis annis, quum Papæ plus
auctoritatis cōsequuti, suas omnes vi-
res & opes eò conferebant, ut manus
& cupiditatem suam ad nostros usque
fines extenderent. Is fuit Benedi-
cti xiiii regnante Carolo v in sua illa
contentione scopus. Verùm docuit
Academia hanc meram esse Paparum
usurpationem, quæ coercenda erat: ac
totam sacerdotiorum rationem ab v-
no rege pendere, ut ex eius auctorita-
te, quatenus regni utilitas postulare
videretur, de illis omnino constitue-
retur. Papas enim divitiarum satis su-
perque habere: si verò casu aliquo Ro-
mana Ecclesia ad inopiā redigeretur,
illiq; Galliæ opibus non nihil opus esse
videretur, tum quidem opem ei ferē-
dam, sed his tamen conditionibus: Id
maturo

maturo judicio faciendū, modo adhibito, justa & gravi de caussa, sine fraude ac damno, dummodo Papę culpā nihil fecus admissum antea fuisset: atq; tantisper dum urgeret necessitas: idq; voluntario regū, patronorū, & aliorū Antistitum consensu ac liberalitate, nulloq; cæterarū Ecclesiarū detrimento, Ut breviter dicam, id caritatis & humilitatis beneficium fore, premente rerū angustia: hoc est, non esse hinc pontificibus putādum ullo sibi jure licere pecunias ex hoc regno jure exigere.

Hæc fuit Antistitū & Academiæ Parisiensis ad Carolum regem vi pro tribunali sedentem, postulatio. Academia autē doctis tunc viris instructa, & cum ea Antistites nunquam id aggressi fuissent, nisi rem & accurate perpendissent, in justissimam esse pernovissent: ut re vera & à rege & ab universo senatu, & magna bonorum, qui eò cōvenerant, multitudine talis dicta atq; habita fuit. Neoverò hæc actio contra ipsum duntaxat Benedictum instituta erat: Nā Romana Ecclesia nominatur;

postulabatur, ut constitutio in posteri-
tatis gratiam ea de re fieret. Genera-
lia sunt quæ ab iis ponuntur fundamē-
ta: Atq; senatusconsultum, ordinem
qui perpetuò à posteris observari de-
beat, continet. Et verò nihil novum
tunc constituebatur, cùm id ipsum e-
dictis nominatim ea de re factis tum
ab aliis, tum ab ipso etiam D. Ludovi-
co jampridem constitutū fuisset. Ex-
tat enim pragmatica illius sanctio, in
qua hoc caput his omnino perscriptū
verbis legitur: Exactiones & onera gra-
via pecuniarum per curiam Romanā
Ecclesiis regni nostri imposta (quibus
regnum miserabiliter depauperatum
exitit) seu etiam imponenda levare &
colligi nullatenus volumus, nisi dun-
taxat pro rationabili, pia, & urgentissi-
ma, vel inevitabili necessitate, ac de
expresso & consentaneo consensu no-
stro, & ipsius Ecclesiae regni nostri.
Hæc ille. Quòd si ex voluntate regia
illiusq; animi sententia, inde certè cō-
sequitur nihil rationis aut juris fuisse,
quo & rex & Gallicana Ecclesia obstri-
ctite.

At tenerentur id Papis largiri. Plures paginæ adhibendæ essent & complendæ, si omnia edicta & decreta, quæ in eam rem facta reperiuntur, hīc prescribere vellemus, quibus omnibus est constitutum, Papas nullo jure ex hujus regni sacerdotiis quidquam attingere, & ad se transferre posse. Ex iis tamen siquid utilitatis ad eos pervenit, id regum nostrorum beneficio, liberalitatique soli, non alii cuiquam, aut rei, aut homini acceptū ferendum. Unde factum, ut quoties illis ad nostra usque tempora ita placuerit, edictis caverint, ne istius sacerdotiorum nundinacionis ergo, Romam iretur, pecuniāve ultra eō exportaretur. Quantum verò ad conventus Ecclesiasticos & concilia pertinet, quæ gravioris quidem ponderis sunt, & in quibus clarius appareat, cuinam summa auctoritas præcipue debeatur: ex Merovingiorum, & Carolinorum maximè, & posterorum etiam aliquot regnis certò probari potest, non Papas sed reges sua ipsorum auctoritate ea convocasse, & quæ in iis con-

110 DE INTERDICTO

stituta fuissent, confirmasse. Extant ad huc cōcilia in quibus id cernitur. Multis post annis reges in suo jure retinendo negligentiores, plura Papis tribuerunt, parum animo cernentes quæ inde consequutura essent: usque adeò, ut quosdam Paparum nomine interdū acciperent, qui conciliis cum summa auctoritate præcessent. At cùm à Carolo Calvo fortè id factum fuisset, Papæ obsequēdi gratia, universus regni Cle-
lib. 5. c. 35 rus ei rei, ut testatur Aimonius, intercessit. Postea verò cùm aliter regibus nostris visum est, aliter sanè & contra Papas etiam ipsos ad retinendam pristinam libertatem factitatum quoque fuit. Ex his igitur planè cōstat, in omnibus petitę Ecclesiasticę partibus, quod ad homines quidem attinet, auctoritatem summā pēnes reges nostros fuisse: eosque nihil hīc suscepisse aut gelississe, quām quod sibi à Deo commissum, mandatumq; esset, Christianiq; Imperatores ante se fecissent, itemq; prisci illi piiq; sub lege reges, qui eā ipsam politiam sua auctoritate & prudentia moderat-

derabantur: ut Academia, ppositis Joę
& aliorū exēplis Carolū vi admonebat.

Quæ igitur hactenus à nobis cōme-
morata sunt, satis docēt Papas summa,
quam jam sibi tribuunt, auctoritate in
Galliis nostris præditos minimè fuisse:
duosque illos ita terribiles, quos nobis
proferunt gladios, non potuisse unquā
in hujusce regni fines, ut in eo auctori-
tatis aliquid obtinerent, penetrare,
quemadmodū Papæ superbissimè ho-
die jactant. Reges nostri de rebus & a-
ctis Ecclesiasticis cognoscebāt, in qui-
bus majori quām quotidiana eorum,
qui Ecclesiis præerāt, auctoritate opus
esset: ad eos cōfugiebatur, etiā adver-
sus Paparū abusus: Apud eos Papæ ac-
cusabantur: ab iis edicta manabant, pet-
quæ recte omnia cōstituerētur. Si quā-
do in comitiis, quæ à regibus extra or-
dinem advocabantur: aut in suprema
curia Paparum procuratores & mini-
stri existerent (ut in eo cōventu quem
Carolus vi habuit) illic assistebant, nō
decreta quidem ipsi in tribunal factu-
ri, sed ut rei in subcelliis caussam acturi,

& quæ haberent postulata in publico proposituri: quæ eaten⁹ admittebātur, quatenus regi curiçq; p̄barētur. Si qua rescripta, mandatave à Papis in hoc regnum emissā sunt, ea certè hactenus recepta non fuerunt (quum pr̄sertim aliqua universalis nota in iis observabatur) nisi regis codicilli, illius voluntatis & assensionis testes, iis apponētur, eāq; in supremo senatu lecta examinataque fuissent. Eadem quoq; ratio est legatorum, qui à pontificibus in Galliam mittuntur: quibus nullus est ad eam neq; accessus, neq; aditus, neque auctoritas nisi cum bona regis venia, quam suo diplomate testatam fecerit: nisi etiam hac declaracione scripto expressa, quæcunque facient, ea omnia ex illius cōcessione & auctoritate, & pro temporis, quod ipse pr̄stituerit ratione, se facturos: nisi denique eorum potestate in ipso senatu probata, qui eam pro suo jure moderatur & coangustat, quatenus id optimum factu judicat, ut videat nequid regis, regniq; jura & pr̄rogativas, atq; Eccle-

Ecclesiæ Gallicanæ libertatem infringat. Hæc omnia quamplurimis actis confirmata in publicis curiæ monimētis videntur. Deniq; Franciæ regnum libertatis semper Imperium fuit, non obedientiæ ut nostri Jurisconsulti dicunt, hoc est nullo modo Paparum potestati & libidini obnoxium. Nec est quod Paparum patroni nobis persuadere conentur, hanc totam auctoritatem Paparum privilegio tantum & indulgentiâ, penes reges nostros fuisse. Ea enim jure, quod sibi à Deo datum esse sciebant, nititur, etiam in caussæ adversus Papas contestatione, si forte illam vel digito attingere tentarint: ut proximis etiam annis tentarunt: Unde factū est ut reges, ordines, & Parisiensis senatus concilii Tridentini (propter quod tantæ flagitiones adhibitæ, tot contentiones factæ sunt: propter quod etiam Papæ præstomacho & iracundia hanc tam funestam nobiscalamitatem cōflarunt) promulgationi tam strenuè & constanter intercesserint. Intercessio his autem illius hæc inter alias caus-

sa præcipuafuit, quòd sine maxima per-
petuæ regum nostrorum authoritatis,
& veteris Gallicanarum Ecclesiarum
libertatis pernicie , conciliū illud pro-
mulgari non posset. At è contrario Pa-
pæ nisi admodum ingratiffarent, debe-
rent ingenuè agnoscere & cōfiteri, re-
ges nostros de suę libertatis & potesta-
tis jure in eorum gratiam multum sa-
pe remisissé: idque eo duntaxat animo
fecissé, ut eorum operâ concordia &
consensio cum cæteris Ecclesiis fove-
retur. His accedunt assiduæ nostraræ,
quæ postremis temporibus nobis cum
Anglis intercesserunt, dimications,
necnon ea quæ in Italia & cum Hispa-
niæ gente gessimus bella , quorum ne-
cessitate adducti multa Papis præter jus
tradidimus, ne in eorū odium incurre-
remus. Neq; id Papas fugiebat, qui da-
tâ operâ his nos bellis implicatos &cō-
strictos tenebant, ut id à nobis etiam
invitis extorquerent. Verùm, non in-
de consequitur, id regis auctoritati &
regni libertati fraudi esse debere, unde
Papa pro animi arbitrio de reb^o nostris
con-

constituere, & sub Hispanicum jugum
nos redigere aut possit, aut debeat.

Vt majorum nostrorū propositū re-
cte accipiamus, tot tāq; preclaræ, & cō-
stantes eorū actiones nobis aliunde te-
stificantur, eos nunquā penitus credi-
disse summam esse Papis jure divino in
reliquas omnes tum hujus regni, tum
aliorū etiā Imperiorū Ecclesiās aucto-
ritatem, qualē sibi arrogant. Id enim si
credidissent, ut pii & religiosi viri erāt;
sic nunquā profectò ea de re cū Papis
cōtendissent. Evidēcūm populo &
nomine & animo verè franco hoc est
libero, tū tot tamq; magnanimis regi-
bus indignissimū & gravissimū erat, be-
stiæ reviviscentis imaginem videre, &
urbis Romæ jugo iterum subjici, post-
quam tamdiu tamque acriter pugna-
tum fuisset, tantumque sanguinis ef-
fusum, ut injustè erepta libertas postli-
minii quodam jure aliquando recu-
peraretur. Attamen pietas, religio-
susque Dei metus, quo tātōpere apud
omnes celebrati erant, eos procul du-
bio nec invitatos impulisset, ut Papis

se subjicerent, rerum divinatum & hu-
manarum sui regni dispensationē co-
rundem arbitrio potestatiique permi-
teret, si ea Dei voluntas fuisset. At cūm
id prætermiserint, ut satis cōstat, immo
verò Papas longissimè à suis finibus re-
pulerint: persuasissimum habeamus,
longè aliter eos persuasum hoc habui-
sse: Etenim quod rei caput est, summos
habebant sua ætate doctores, à quibus
quid ea de re in sacris scripturis conti-
neretur, didicerāt. Eorum testimonia
nullajam, brevitatis caussâ proferam:
nec ad rem totam pernoscendā ultra
ea, quæ antea proposui, exempla pro-
grediar. In Parisiensis Academiæ ad-
monitione, quam Caroli v i decretum
sequutum est, hoc nominatim scriptū
extat: Prærogativam summamque au-
thoritatem, quam Romana Ecclesia
sibi vendicaret, à Constantino dela-
tam ei fuisse: quam tamen Constan-
tinopolitana, Alexandrina, & aliæ cer-
tatim sibi deberi contenderent. At-
que hoc unum illud est, quod in Gal-
lia de Romanæ Ecclesiæ jure teneba-
tur.

tur. Quinetiam poterant eam Constantini donationem in cōtroversiam vocare. Illis enim non difficile erat ex regum etiam nostrorum historiis probare, præcipuam Paparum potentiam & dignitatem multis post Constantium annis extitisse, Papasq; totam ejus rei laudem Pepino præcipue & nostris illius successoribus regibus debere. Sed nulla moti ratione id agnoscere & cōfiteri volunt. Summa tamen rei huc redit, Ecclesiæ Romanæ sedis prærogativæ caussam ad Constantini donationem vulgò referri: hoc est, majoribus nostris cognitum & exploratum fuisse, jus illud omne, quo se venditabat, positivum esse, hominis donatione, non ulla Dei constitutione sacris literis comprehensa, constans: Eo autem nomine regnū hoc illi nullo modo obnoxium esse posse: immo confitam illam donationem nullam omnino exigendæ pecuniæ potestatem Papæ permittere, tantamq; illi duntaxat concedendam esse, quantam Ecclesiæ facultates ferrent, citra suum ullum

detrimentum. Hæc illorum verba sunt. Quod si de Constantini donatione aliter sensissent, indeque consequutum fuisset illius vi & auctoritate Papam pecuniæ ex hoc regno exigendæ jus habere, Parisiensis Academiæ & Galliæ Antistites secum ipsi pugnassent. Verum id probè sciebant, Constantini donationem nō esse Dei mandatum, quo tenerentur, Constantiique munificentiam imperii Gallorum libertati ac dignitati fraudi ac danno esse non posse. Sciebāt hoc quoque, jus illud qualecunque tandem esset, ab iis, quas nominant, Ecclesiis in contentione poni. quod quidem de illius vi & veritate multum detrahit. Ita certè majores nostri de ea loquebātur, quia certò scirent totam orientalem & occidentalem plagam de primatu adversus Papas multis gravissimisque rationibus dimicasse, & Africanas Ecclesias D. Augustini tempore in magnam ea de re contentionem venisse. Romana Ecclesia asserebat transmarinas Ecclesias sibi subjectas esse: Con-

se: Contrà D. August. aliiq; Africæ patres & Episcopi id negabant. Ea cōtroversia utrinque sic agitata fuit, ut Papa Romanus falsi compertus sit, quòd concilii Niceni in eam rem decretum supposuisset: nihilque aliud in Episcopi Romani gratiā reperiri potuit, quām ut Romæ locorūmque vicinorum rationem, curāmque haberet: Et ex cōciliī auctoritate vētitum fuit, ne ad Romanum pontificem in posterum provocaretur. A Cypriani usque tem- *De simpli-*
poribus Romani Episcopi aliquid huic citate prae-
non dissimile in Africanos movere in latorū &c.
 animo habuerant. At D. Cyprianus adversus Romanum Episcopum hanc constantissimè caussam egit, firmissimisq; argumentis docuit, nullam esse illius in alios prærogativam & auctoritatem. Unum Christum summum esse omnium Episcopum, sub quo alii omnes Episcopi idem munus & onus haberēt. Postea D. Hieronymus (quā- *In epist. ad*
quam Ecclesiæ Romanæ presbyter) Evagriū.
 professus est, scriptoque confirmavit tantum esse oppiduli (cui Eugubium

nomen erat non procul ab urbe) Episcopum, quantus ille Romanus eslet. Id ipsum quoque D. Bernardus Papam Eugenium (ut suprà dictum est) edocuit, dum ait eum non esse Episcoporum dominum, sed ex iis unum. Parisiensis Ecclesiæ primarij & Antistites Caroli v i imperij tempore hæc omnia nō ignorabant, quæ hodie etiam in sanctorum Patrum libris & Ecclesiæ historiis extant. Sciebant quoque quantæ cōtentiones ob istam Episcopi universalis prærogativam & auctoritatem inter Constantinopolitanum & Romanum Episcopum exarsissent, & quo animo ac studio D. Gregorius Romanus Episcopus adversus alium, nempe Joannem Constantinopolitanum, qui summam hāc dignitatē sibi arroganter attribuebat, invectus fuisset, in multis librorum suorum locis testificatus, eum qui Episcopi universalis nomen & auctoritatem sibi arrogaret, Antichristi præcursorē esse. Hoc ergo majoribus nostris adversus usurpatam Romani Pōtificis auctoritatem probè cognitum

lib. 4 epist.

76, 78, 80,

83, & *lib.*

7, 194. &

lib. 6. epi.

188.

gnitum erat, illudque Parisiensis Academia & illi adjuncti Gallicanæ Ecclesiæ Antistites in sua adversus Papā ex postulatione præcipue commemorabant. Quin & rex, & suprema illius curia id minimè repudiarunt, sed confirmarunt, & suo etiam decreto, solenni quodam ritu, inseruerunt: nimirum tanquam rem certissimam, & validum adversus Paparum usurpationes fundamentū, id esse rati. Deinde Ecclesiasticus ordo in concilio Turonensi non dixit Papam ullum in se jus potestatemq; habere, sed regem tantum, nulli alii præterquam illi subjectum se asserens. Quòd si Papa ista primatūs opinione elat⁹ regi molestus esse pergeret, nihil obstat, quin rex illum justo bello ad retinendam suam auctoritatem persequi posset. Atque hæc de Papæ auctoritate, quantum quidem in majorum nostrorum monumentis scriptum extat.

In illis autem discemus etiam, quomodo Paparum excommunicationes & interdictiones accipi debeant. No-

bis enim constabit tales excommunicationes, in quibuscunq; temporibus vana fuisse tonitrua brutaque fulmina, quæ magnum quidem sonitum cederent, sed nullam tamen laedendi vim haberent: maioresque nostros ea nullo modo unquam timuisse, sed rejecisse potius, contemptuiq; & ludibrio habuisse. Atque adeò supremam ipsam curiam & legibus & majorum exemplis frētam, licere sibi arbitratam fuisse, ea ut inania & falsa damnare, & eos in quos ea distingerentur, absolvere, noxaque liberare. Patres verò nostri id non suscepserunt, quin scirent quid sibi vellet excommunicatio, & quorsum Deus in Ecclesia eam constituisset: eos, quos in terris Ecclesia ligat, ligatos quoque & excommunicataos corā Deo esse, vt in Evangelio scriptum est. Sed iidem tamen patres non ignorabant etiam Deum suas promissiones explere, quum ipsius voluntati paretur, & ex ejus præscripto res quæque geritur. Nam unicum illius verbum, cuius hominēs ministri tantum sunt,

Matth. 18

sunt, propriè & per se ligat. quòd si ali-
ter quam Deus instituit ac præcepit, ab
hominibus usurpatur, nullum est jam
Dei promissum, ac pinde excōmuni-
cationes nihil amplius sunt, quā mera
hominū verba, & minæ, quę momento
evanescūt, nec ullis aliis, nisi autoribus
ipsis nocere possunt. Neq; enim Deus
peccatorū, quæ in iis admittuntur, aut
perversarum affectionum, quas ad eas
adhibēt, actor & executor est. Tales ni-
mirum erant summorum Hierosoly-
mis pontificum eorumque consistorii
contra Apostolos & Christianos ex-
communicationes. Id inquam patres
nostrī noverant, atque ex sacris scri-
pturis priscorumq; doctorum D. Au-
gustini maximè libris didicerant, qui
præclaras ea de re sententias edidit,
quarum nonnullas D E u s sua pro-
videntia Paparum decretis inseri vo-
luit, quibus adversus illos ipsos ute-
remur. Itaque Paparum excommu-
nicationes meritò pro nihilo duce-
bant, quòd nullo jure aut potius præ-
ter omne jus, ut multis & grauiſſimis

rationibus probari potest, fierent. Ac primùm, quòd Papæ eas emitterét, ista utriusque gladii potestate, quam sibi in universum orbem datam esse volunt, freti: quod nostri patres minimè credebant. Ita enim falsò fundamento jaecto, quicquid in eo superstruebatur, omnino corruebat. Deinde quòd id omni legitimæ actioni repugnaret. Priusquam enim aliquis excommunicetur, tum probatam culpam, tum iustas causas, & eas, quæ excommunicationem commereantur, esse oportet. Ut autem de illis planè constet, in rem præsentem veniēdum est, ubi delictum admissum fuit, auctoresq; adeò ipsi, si fieri potest, inspiciendi, ut nihil præcipiti judicio fiat: cavendumque diligenter, ne ad ultimam hanc (quæ tantam à reliquo grege separationem continet) refectionem antè veniat, quam salutaribus & appositis admonitionibus tentatā fuerit ejus, qui peccavit, ad meliorem mentem reductio. Præter hæc etiam, de illius pertinacia & propositi obstinatione judicādum.

At

At nisi à pastoribus & senioribus, qui
in locis ipsis degunt, fieri hoc non po-
test, nisi etiā res illic, ubi admissa fuit,
disceptetur, ut vetus Ecclesiæ discipli-
na præscribit. hoc præterea requiritur,
ut excommunicationis fines pii sint,
& ad nocentis hominis salutem refe-
rantur : ut ad extremum hoc reme-
dium non similate & odio, sed pio
sinceroque in solum affectu venia-
tur, totiusque Ecclesiæ utilitati consu-
latur. Si hæc in excommunicatione
desiderentur, Dei sanè cōstitutio per-
vertitur. Nec est quòd putemus Deū
id ratum unquam habiturum. Quin-
etiam si id per alios fiat quam per eos,
quos Deus ei muneri præfecerit, nullo
auctore fit, nullo etiam fructu. Atque
hic verus est summatim excommuni-
cationis à Deo institutæ usus. Patres
verò nostri omnia his omnino contra-
ria in Papis animadvertebant, sine mu-
nere, sine ulla caussæ cognitione, nul-
la legitima actione observata, sine ju-
sta caussa, stomachos & animo affe-
ctos homines non ad servandam sed

perdendum potius, & diris suis fulminationibus, si modò id potuissent, op̄ primendum. Proinde sine ulla dubitatione infimos etiam quosque homines excommunicationis nexu solutos, ac nulli pœnæ obnoxios judicabant, eorumq; provocationes ex Paparū tyrannide profectas recipiebant. Sed imprimis, si fortè Papæ in reges sua fulmina contorqueret, gravissimè hoc ferebant. Non quòd nescirent, reges etiam ipsos disciplinæ censurisque Ecclesiasticis, itemq; pastorum suorum reprehensionibus, & correctionibus; atque hujus etiam excommunicationis pœnæ, si quid ea dignum admisissent, obnoxios esse debere, ut hanc vias ad Deum, ad sanitatem, melioremque frugem cōverterent. Verùm in illis Paparum contra reges nostros excommunicationibus, gravissimæ aliæ præter eas, quæ supra jam commemoratæ sunt, caussæ erant, ob quas non illi solum meritissimo damnarētur, sed universi etiam regum subditi justo dolore accensi uno animo conspirarent ad suscipiendam eorū, qui tam indignis

modis à superbis illis accipiebatur, defensionem. Cōsiderabant enim patres nostri, reges esse Unctos Domini, in quib^o illius Majestas nobis, quodāmodo ante oculos ponitur: quod nobis argumento esse debet ad eos summa observātia prosequendos, & nunquā, nisi eorū amplitudinis ratione diligenter habita, nominandos. Sciebant, ut sacrâ Exod. 22: scripturâ cōtinetur, à Deo nominatim fuisse hoc vetitū, ne quis sui populi principi malediceret: Et ab Apost. eos cōdēnari, qui de principibus aliter quām honorificè loquerētur: dum iis, qui in principes & reges cōtumeliosi essent, ipsorū etiam Angelorū exemplum opponūt, his verbis: Non horrent cōvitiis dignates incessere: cùm ipsi Angeli qui sunt robore ac potestate maiores, nō ferant adversus eas apud Dominū, maledicuum judicium. Id autem ab Apostolis dicebatur de illius ætatis principiis, licet Ethnicis, iisque ut plurimum sceleratis. Maiores igitur nostri, literas cōtumeliis in principes suos refertas Româ ad se perferri, facinus plānè indignum, & sibi etiam nullo modo

2 Pet. 2.

Iudea 1.

tolerandum putabant. adde quod fācile ex istis bullis animo cerneret, quod Papæ sua consilia & cogitationes referrent, nempe ad Principum suorum perniciem, cum de eorum salute nullo modo laborarent: quippe illorum plerique omnes profligatissimi & perditissimi, omnisque pietatis expertes, ut Platina & alij historici eorum facta & mores suis scriptis nobis depingunt. Sed aut flagrantissimus principum nostrorum ulciscendorum & op̄ primendorum ardor erat, si quid pro regni dignitate & cōmodis, quod Papis minimè cordi esset, effecissent: aut artificia hæc etant, & insidiosa cōmenta, per quæ & reges & regum consiliaii metu perterriti ne hiscere quidem auderent, miserum popellum & Clerum præcipue immensis Paparum exactionibus objicerent, & ipsos, ut alibi, sic in hoc regno tyrannidem suam stabilire sinerent: (Academia Parisiensis & Antistites de iis ita loquuntur) Aut deniq;, hoc inter eos & hujus regni hostes ex mutuo fœdere convenierat;

nerat, ut dum hi regnum infestis armis
invaderent, illi vicissim hunc ludum
luderet, & (quomodo Jupiter quidam
in tabula depictus) ab excelsa sua sede
fulmina sua ejacularentur, quorū stre-
pitū & reges ipsos & eorum populos
percellerent, eorum tui pro jure sum-
mo imperantes, ut de ea possessione,
quam in Anglum justè acquisierat, il-
li concederet: Alteri, ut Italica, quam
jure possidebat, ditione excederet: a-
lii, ut regnum suum spoliari & diripi si-
neret, & aliā ejusmodi. Ea neminē ho-
minem fugiebant: omnibusq; hoc cō-
stabat, Papis nihil curę esse de sequen-
dis rectis excommunicationum fini-
bus, & hoc maximè uno, Ecclesiæ utili-
tate & ædificatione: quibus contrà
scopus hic unus esset propositus, suas
ad hunc præcipuè finem excommuni-
cationes de arce sua emittere, ut & in
Ecclesiis & imperiis ipsis miserrimè o-
mnia permisceret & everterent. quip-
pe quæ his nominatim verbis conce-
ptæ essent, ut populos fidelitatis, quam
principibus debebant, juramento libe-

rarent, imperarentq; iis, ut arina in eos
caperent, contrà quām Dei mandatis
præcipitur, totiesq; repetitur, obediē-
dum regibus esse licet impiis, quales
Christi & Apostolorū ævo tum Impe-
ratores tum alii etiā magistratus erant.
Hæc omnia majores nostri non sine
horrore intelligebāt: ideoq; justo do-
lore permoti, quod Deum illiusq; cō-
stitutiones pedibus adeò proteri, re-
gum suorum dignitatem ita exaucto-
rari & convelli, regnum ipsum vastitati
hostiūq; libidini exponi viderent, Bul-
las arreptas dilacerabant, & eos qui eas
in regnum auderent inferre, in cri-
men judiciumq; vocabant: certò sci-
entes ejusmodi fulmina nō è cælo, sed
ex imis inferis emitti. Cuncti cōcon-
veniebant, ut gladium è furiosorum il-
lorum manibus eriperent. Reges ipsi
palam testificabantur minimè se un-
quam passuros, ut sui hostium servituti
objicerentur. Princes, nobilitas, uni-
versus populus ultrò ad id suas opes, &
vitam adeò ipsam offerebant. Supre-
mus senatus vim legum & judiciorum
polli-

pollicebatur: Clerus tam superbū pri-
matūs dominatum abnuebat, illiq; pa-
lam renuntiabat: universi deniq; regi
obsequium & fidem perpetuā pia con-
spiracye promittebant. Qui nostras
historias percurrūt, nec satis accurate
harū justarum offensionum dolorūq;
caussas ponderant, accusant nostrum
illū Augustum, quod nimia in sacram
sedem irreverentia fuerit: accusant
Philippum alterum, quod stilo paulò
acerbiori ad Bonifacium scripsicerit:
accusant nostros senatus, quod san-
ctorum istorum patrum ministros &
legatos carnificibus cum summo de-
decore & probro tradiderint: accu-
sant nostram Nobilitatem, quæ bulla-
rum istarum invidiā Alpes superarit,
Papamque adeò ipsum armis perqui-
situm, & in carcerem pertractum, ad
furiosum mortis genus adegerit. Sunt
ergo nonnulli, quos id offendit. at
que Paparum assentatores, quum de
his scribunt, has eorum actiones ver-
bis lenire conantur. At contrà hæc
summa est Galici nominis gloria:

Ubi nimis studium, virtus, libertatis
amor, Gallorumq; fides multò quām ul-
lo alio in facinore clariū extitit & emi-
nuit: quod sit posteris (qui à majorum
virtute degenerare minime omnium
volunt) exemplo, ut idem quoq; in ea-
dem causa pari animo & fide suscipiat,
caveantq; furiosorum istorum bullas
ita reformident, ut ab ea, quam suis re-
gibus, sibi ipsis, patriæque debent, fide
& officio vel minimum avocetur. Re-
ligionis nomen & prætextus ut nunc,
sic & olim Papis nō deerat. Principum
nostrorum accusationis caput hoc erat
& fundamentum, quod illi essent hæ-
retici, schismatici, atq; Ecclesiæ hostes.
Id nominatim ab historicis cōmemo-
ratur: Nec illi alio stilo aliaq; scriben-
di forma, atq; ea, quam nunc videmus,
utebantur. At patres nostri non ita ru-
des erant, rerumq; imperiti, ut levissi-
ma quaq; de causa se ad defectionem
& perfidiam induci pateretur. Ad hæc
adversus omnes Paparū accusationes
provocatio ad concilium præstò erat,
usitatum ac potentissimum ad eorum
furo-

furores, dum cōcilium haberetur, co-
ercendos remedium. Et hæc quidem
de excommunicationibus.

Quod autem ad istas Interdictiones
attinet, de iis nihilo certè magis labo-
rabant. Paparum adversus Ecclesiæ &
Imperia, interdictiones cò spectant, ut
templorum fores occludantur, ideoq;
nulli Christianorum conventus agan-
tur, nullæ sacræ cōciones, nullæ etiam
preces publicè habeantur, nulla sacra-
menta administrētur, ac ne Baptismus
quidem infantibus. Quid plura? ut ne
mortui in cœmeteriis sepeliantur. En-
præclaræ illæ interdictiones, quæ pa-
trum nostrorum temporibus indice-
bantur, ut à nescio quo Martino v, Ju-
lio ii & aliis ejusdem notæ pontifici-
bus. Atq; haud satis scio, an hoc unquā
planè creditura fuisset posteritas, nisi
nostrerhic Papa, ingenii, cōsuetudinisq;
& instituti aliorum successor, idē pror-
fus nobis minitaretur. Patres vero no-
stri, qua erant prudentia, animiq; ma-
gnitudine, illa omnia pro nihilo ha-
buerunt, nō quòd pietate religioneq;

deficerentur: sed illud probè tenebant, totam Paparum simul & inferorum omnium potestatē non posse sibi vero harum rerum omnium usu interdicere. hæ siquidem interdictiones omnes, excōmunicationum ab illis latarū, quæ divino & humano iure nullę erant, naturā & vim sequebantur; idq; totū vnicō summæ ubiq; terrarū in rebus divinis & humanis potestatis nomine, quasi fundamento nitebatur, quòd patres nostri planè falsum esse sciebāt: ac proinde, quicquid inde cōsequeretur & exædificaretur, falsum quoque & irritū credebant. Idem patres illud quoq; intelligebāt, quicquid fit in Ecclesia, ex uno Deo, qui id præscripsit, non autē ex ullius mortalis hominis, qui pro animi libidine dispēsare omnia vellet, auctoritate pendere. Illud quidē constat, si quis excōmunicatus fuerit, illū ad sacramētorum communionē admittendum non esse. verūm hoc planè cōstare debet, an ejusmodi excōmunicatio legitimè adhibita fuerit, nécne. Deinde pastorū est, qui

qui ei muneri obeundo præsunt, id agere. Interim illa sacramentorū interdictio, illis quoq; sacratū concionum, quæ in tēplis celebrari debet, auditio ne nō interdicit. Nā contrā, ut iis sāpe & studiosè intersint, omni ratione curandū est, ut divini verbi virtute moti resipiscant. Quin D. Paulus hoc nomi natim p̄cipit, nō esse eos pro inimicis habendos & duriū tractandos, sed tan quā fratres admonēdos, & ad officium lenitate & humanitate adducendos. Præterea sicui rebus sacris & piorū hominū cœtu ob aliquod à se admissum scelus interdictum sit, rationi profecto juriq; consentaneū est, ut in eo plectatur: sed rationi & æquitati repugnat, illius uxorē & liberos, nisi in eadē culpa fuerint, in eadē excōmunicationis pœna esse. Immanior quidē certè hæc es set crudelitas, & in liberos p̄cipuè, qui in Ecclesia geniti & nati fuissent. At totā civitatē, universum etiam Imperiū eadē pœna cū sceleris auctore p̄mis̄tē implicari, immanitas p̄fecto & barbaries atrocissima fuerit, & cuius exemplum

nusquam, nisi Romæ, extare puto. Fin-
gamus enim animo & cogitatione to-
tum Ecclesiarū corpus peccasse, De-
umq; offendisse; quid tunc faciendū?
Intercludendus ne omnibus ad tem-
pla aditus esset? Immo verò aperienda
tunc maximè forent, cogendusq; etiā
ad sacras cōciones frequentandas po-
pulus, ut Dei veib[us]o audito, officii sui
admoneretur, & vitam antē aetam me-
liori vivendi ratione commutaret; cul-
tuiq; divino & precibus studiosius quā
antea interesset, ut iræ Dei occurre-
Joel. 2. tur. Nempe Joel & alii Prophetæ, quū
populus Deū offenderat, ita se omni-
no gerebant, præcipientes ut tubæ al-
tius canerent, ad populum in templis
convocandum. Templorum autem
aditus Christianis nunquam, nisi à Ty-
rannis & acerrimis Ecclesiæ hostibus,
prohibitus fuit. Imperatores Romani
Pagani, exempli caussa, id postremis
Ecclesiæ persequutionibus fecerunt,
ex quo primùm Christiani publica lo-
ca habere cœperant, cōcionis haben-
dæ ergo. Julianus Apostata idem po-
stea

stea fēcit, & ab eo, Arriani Imperatores aliquot. Sed hic infidelium furor erat. Christiani verò nihilo minus cōsuetos cōetus celebrabant, Deo preces publicè fundebāt, sacramentorū communioni intererant (idq; in ipsis etiam sylvis & speluncis, si alibi non liceret) sine ullo minarum, quæ à furiosis illis jactabantur, metu. Postea verò Theodosius & pii alii Imperatores Ethnorum templa claudi quidem jussérunt, sed ob idōla quæ in iis erant, & quia quicquid illic gerebatur, impietatis & superstitionis plenum esset. Nulla posunt alia templorum clausorum exempla proferri. Quare, quū Papa imperabit, ut ædes sacræ in hoc regno claudantur, aut eodem furore, quo primi illi Tyranni Ecclesiæ hostes, corripiantur, aut certè impietatis idolatriæ, quæ illic aguntur, damnet necesse est. Patres nostri ea omnia considerabant, & Christianorum priscorū more istas omnes Interdictiones ridebant. Hoc verò illorum animos justa indignatio ne vehementer exulcerabat (Id quod

etiam piorum virorum pectore acrio-
ri vulnere transfodiet) quod Papæ pio-
populi affectu & religione sceleratè
abuterentur, ut eum ad flagitia con-
fidentius suscipienda impellerent. Vi-
debant, quām cara Gallico populo es-
sent Religio, templorum ingressus, sa-
crarum rerum usus: Itaque sancti illi
viri comminationes suas illi intenta-
bant, & ea ipsi erecturum se minaban-
tur, ut facilius ad principibus suis re-
nuntiandum, & ab iis deficiendum in-
ducerent. Hi profectò abusus sunt, &
profanationes planè intolerabiles. Si-
quis vim in aliquem adhibet, & gladio
districto jugulum illius petit, capi-
tis periculum minitans, ut flagitiæ ali-
cujus aut admittendi assensionem &
societatem, aut jam admissi dissimu-
lationem silentiumque extorqueat:
id sexcentis tormentis & crucibus di-
gnū iudicabitur. At pij isti totius scili-
cet Ecclesiæ præfecti & moderatores,
ut sacrū & devotum Deo populū con-
tra Regē suum arment, atq; ex illius a-
nimis & manibus iustissimam publici
status

status defensionem eripiant, duos illos fulgentes gladios, quibus se instructos dicūt, illius capiti inferunt: & nisi impia cōjuratione ac perfidia tum regem suū regno spoliaverint, tum scipios extēnorū servituti dediderint, tunc vitā se illi adempturos interminantur. At quam tandem vitam? Non corporis quidē, sed animorū vitam, spirituale pabulum, salutem æternā, dum & Christianis cōcionibus, & publicis precib⁹, & sacra-mentorū usū nefariè iis impièq; interdicunt. Id verò præcipue pravas Paparū mentes manifestiūs aperiebat, patrumque nostrorum animis & pæne oculis ipsis subjiciebat, quonam genio afflati, quo etiā ingenio prædicti essent: ut ea re perspecta & planè comperta, patres citra ullā dubitationē & religiōnē, conscientiæve & dignitatis suæ labem, ad tollenda eorum decreta conspirarent: facilèque judicabant quod olim à Christo scribis & Phariseis ut probrum objectabatur, id ipsum meritissimō & convenientissimè Papis nostris exprobrari posse, eos scilicet

putare se regni cœlorū claves, omnēq;
earum pro animi arbitrio dispensan-
darum potestatem adeptos esse, cùm
interim non solùm nullam eò ingredi-
endi volūtatem haberent, sed etiam
illius ingressu populum excluderent.
O detestabilem impietatem! O faci-
nus exsecrandum! Populum, templo-
rum in quibus Dei præcepta discat, z-
ditu prohiberi, nisi priùs Papæ, à quo
ad defectionem sollicitatur, mandatis
pareat! Populum nō decere Deo sup-
plicare, numenq; illius & fidem implo-
rare, nisi priùs gratiam à Papa ineat, il-
liq; patriæ suæ libertatem perfidè ven-
dat! Populum sacramentorum usu pri-
vari, nisi priùs Hispaniæ insignia & ar-
ma sumat! Populum nō posse amplius
Deum colere, nisi priùs Papam, ipsius-
que bullas colat! Quantum autem ad
mortuorum sepulturam attinet, tam
immanis est ejus rei atrocitas, ut de ea
plurib^s agere nihil sit opus. Nostri igi-
tur piiq; illi patres, non sine acerbissi-
mo animi sensu & dolore hæc secum
reputabant. Ecclesiæ doctores, & ejus
ſacculi

sæculi Jurisconsulti suis scriptis lacrymas & suspiria in posteros derivabant, ut hodie apparet. omnisq; Gallica Ecclesia hoc certò sibi pollicebatur, regni & libertatem & dignitatem, simulque rerum omnium sanctorum (quę quidē omnia Papæ indignissimè distrahere conabantut) usum bona fide à se retineri. Atq; adversus Paparum excōmunicationes & Interdictiones tam præclarum & constans majorum nostrorū propositum fuit, ut Papæ aliquādo cedere coacti sint, promiserintq; se non amplius nec contra regem, nec contra regnum iis usuros. Ea de re Martini 3 & 4:tum Gregorii 8, 9, 10, 11 & aliorum quamplurimorū conscriptæ Bullæ in Tabulario regio adhuc extant. Id quoque jus ad Franciæ Patricios, atq; adeò ad minimos usq; regis ministros pertinuit, cujusdam capitularis, ut vocatur, à Carolo magno, ejusq; filio sancti vi& virtute, cujus hoc est initium, *Si quos culpatorum, &c.* Quod si Papæ severitatem censoriam in nobilem quendam virum, aut Galliæ civitatem adhibuiſ-

sent, cogebantur eiusmodi sententiā revocare, & eos quibus censoria illa nota inusta fuisset, in pristinū statum restituere. Quinetiam Maiores nostri impetrarunt, ut eiusdem libertatis beneficio fruerentur reliquæ civitates & principatus, qui huius regni beneficiarij & clientes essent: quemadmodum anno 1448 Bullæ contra Gandavenses & Brugenses decretæ oppositū fuit, quæ ob id abrogata & antiquata est. Idq; adeò ad nostram usq; ætatem valuit, quū Senatus certior factus anno 1580 Gregorij 13 Bullā clandestino introitu in hoc regnum irrepississe, cōmuni decreto 4 Octobr. in eam rem facto, cavit ne ea promulgaretur: hac etiā sanctione addita, vt eorū, qui eam receperissent, sacerdotiis manus regia injiceretur: decretumque est, ut illud Senatusconsultum typis mandaretur. Majores igitur nostri, ut ex his cōstat, quandiu sententiæ suæ perseverantiam retinuerunt, tandiu & regni dignitatem libertatemque retinuerunt.

Papæ in suis Bullis proponebant, si
Reges

Reges nostri sibi non obtēperarent, eorū imperia pro suo arbitratu, ad aliū translaturos, eorumq; populis minabatur se alios principes ipsis præfecturos: summā illam ubiq; gētium imperandi in temporalibus & spiritualibus rebus potestatē arrogātissimè, ut jam antea diximus, venditātes nobis, & ostētantes, ac diram funestamq; imprecationem in id imperium immisuros seminitātes, nisi ad suum nutum & arbitriū regeretur. Sed his rebus omnibus Patres nostri ob ea quæ diximus nihil prorsum terrebantur. Sapientius nimirū instituti, & usu rerū peritiores facti erant, quā ut nugis istis vel tantillū moverentur, qui satis scirēt Deum auctoritatē illam sibi vni reservasse, illiusque unius esse imperiorū statum mutare, & reges in iis pro jure suo summo constituere; iisq; ut & reliquis ab eo constitutis magistratibus parendum esse: alioqui Dei mandato & auctoritatē repugnari, nec impunē id quidem aut inculpatē, quęcunq; tandem caussā cōtrā obtendi possit. Diabolus idem

Matth. 4. agebat in sua illa contra Christum testatione, mundi regna illi ostendens, atque se traditurum etiam pollicens, si honorem sibi cultumq; tribuere vellet. Perditus ille dicebat omnia se regna in manu sua habere, de quibus pro animi libidine constituere posset. Qui verò hanc tantam in mundi regna protestatem, quæ uni Deo debetur, sibi aſſumunt, ii certè Dei sunt hostes, fallacesq; spiritus. Majores nostros, prudētesq; probosq; viros minimè latebat, Christum, ut hereditatem inter fratres divideret, rogatum id recusasse, quamquā ea hereditas minimi fortasse pretii esset. Inde concludebant, Christum nunquam hujus facti rationem probaturum, si Papa, pro ea, quam sibi arrogat, potestate sceptra & imperia partetur, venderet, transferret. Enimvero ex sacris libris cognitum hoc habebat reges, ut Davidem, Salomonē, & alios à Prophetis reprehensos fuisse, severiusq; & minaciter admonitos, nisi mortem Dei mandatis gereret, summum esse periculū, ne justa Dei offendionc suum

suum sibi regnum eriperetur. At pii illi viri eam calamitatem Dei nomine minabantur, nec eorum quisquam eò audaciæ unquam venit, ut regna per se à propriis Dominis alienata interverterit & ad alios transtulerit. D. Ambrosius Theodosio sacris quidem interdixit, sed non Imperio, atq; ista cōminatione in eum nunquam usus est, nec aliter eum cōpellavit, nisi cum ea animi submissione & observantia, quæ civem clientemq; decet. Patres nostri in eo quidē probè se institutos ostendebant: & præter Dei mandatū, quo præcipitur colendos esse reges, iisque obtemperandum, ingenio etiam ad principes suos imprimis amandos propenso semper fuerunt. Unde præ cæteris omnibus nationibus, celebrati fuerunt. Itaque Papis, quos videbant tam infirmis fundamentis niti, fidem non habebant, sed eorum Bullas detestabantur, & justo dolore accensi universum suum studium operámq; regibus suis pollicebantur & deferebant, à quibus mandata ad retinendam Papa-

rum insolentiam reciperent : satis p^{ro}p^{ri}etū & sua ipsorū memoria experti , neminem unquam illorū fulminibus sauciatum fuisse. Quinetiam quum reges tot tantisq; indignitatibus à Papis se affici , tot onerari cōtumeliis , regnumq; per illorū artes hostibus prædæ objici viderēt , tunc nec ullū religionis & Ecclesiæ falsò usurpatū nomē moram afferebat , nec ulla Paparum sanctitas obstat , quo minus reges suorū tum sentītiis freti , tū studiis moti , armis se tueri , & superbos istos , hostilē in modum tractare decernerent : quippe qui nullam belli gerendi caussam justiorē dari posse arbitrarentur . Neq; id tamen sine maximo dolore sic statuebant , ob eam , qua sedem illam semper coluerant , observantiam , & eam etiam , quæ inde consequi posset , offensionem & invidiam , cūm aliqua nec minima Ecclesiæ pars cum eo dimicaret , qui præcipuam illius administrationē ac moderationē sibi sumeret . Verūm publica salus , suprema lex esto . Aut siudēfensio justē strenuēq; suscipienda erat , aut

att rex perfidè deserendus & prodendus, collūq; servitutis jugo turpiter offerendum Quòd si ut sui regis sarta etaq; cōservetur auctoritas, ut status & patria tota defendatur, ut libertas, quā nihil est dulcius & carius, retineatur, bellū à nobis suscipitur: idq; adversus eos maximè, quorū amicitiam expetim⁹, ac nobis cōciliare imprimis studemus, & qui sub pietatis specie ambitiōnem, avaritiā, & arrogantiā (à quibus ad status eversionē machinandam impelluntur) prē se apertè ferūt: cui jam dubiū esse potest, quin cum eorū, qui necessariā sui defensionē suscipiunt, causa, unā cum justitia, tū Dei assensio tū optima cōscientia conjungantur? Nunc quid sanctitas, pastoris officium, Deiq; nomen, iis qui res p̄tutbare & imperia bellis & cōfusione pmiscere vellēt, occasione ad id & caussæ esse deberēt? Abiathar summus sacerdos muneris sui oblit⁹, ad Adoniacē factionē contra Salomonē transiit: putās se, pro ea qua p̄dit⁹ erata auctoritate, jus imperii ad quēcumque vellet trāsferre posse, negle&to Dci,

*¶ Reg. 1.**Rom. 3.*

qui aliter ea de re constituisset, mandato. At in sacerdotii dignitate tatum momenti non fuit ac præsidii, ut non is morte damnaretur, cetereturque dignus cum quo tanquam cum hoste agetur. Omnis anima potestatibus supereminentibus subiecta esto, ait D. Paulus. Nec Apostolus nec Episcopus, nec ulla alia Ecclesiastica persona excipitur, ut D. Chrysostomus in eum locum scribit, ac proinde ne Papa quidem ipse. Qui est omnium supremus, gladium sibi a Deo commissum gestat, ut eos qui se praeter modum contra suam auctoritatem efferre audeant, et quem omnes reprimat. Patres nostri id sciebant, credendumque esse eos, nisi perquam considerate, ejusmodi bellum non suscepisse. Et certe in illo Turonensi concilio palam statutum fuit, bellum salva conscientia Papæ infetri posse. Ac illud ipsum decretū usurpatum jam aliquando fuerat, ideoque normæ instar esse debebat, ad quam hoc regnum sua consilia & actiones in eadem re dirigeret.

Non ignorabant autem reges, itemque

que alii, qui in celeberrimos illos cœtus accerſebantur, quæ sit Episcoporū habenda ratio, & quo ſint honore & obſervātia digni. Nam ſi Romani Epiſcopi in officio ſuo permāſſent, nunquam niſi per honorificè appellati fuiffent. Quinam verò maiores honores in Rom. Epiſcopos effuderunt, aut eorum auctoritatē magis amplificarunt, quam nostri Caroli, Ludovici, & nostri alii principes? Sed quum muneris ſui limites prætergressi, pro paſtoribus lupiſiunt, & in media regna irrunt, ut ea funditus evertant, nullam officii partē attingentes, ſed cōtrà præter officium & decorum facientes omnia: tum verò demum nullus eſt honori & obſervantiæ relictus locus: non enim laus personam ſequitur, ſed munus, ſi quis in eo fungendo præclarè ſe gafferit. Si munus deſinit, honor & meritò deſinit. Noſtri igitur patres, qui Papas erga ſe non paſtores, ſed perditores, non mandatorū Dei præcones: ſed ē contrario bellorum ciwilium tubas, & rebellionis aduersus principem concitatores: nec

jam patres & servatores, sed hostes vexatoresque infestissimos, perniciem sibi & exitium machinantes experientur, rectissimè profectò & rationi convenientissimè facturos se putarūt, si erga eos ita se omnino gererēt. Parisiensis Academia sentiebat, quod D. Paulus monet, discessionem ob omni fratre qui se inordinate gerit, faciendam, de Papis intelligendum esse, quum rerum superbo dominatu potiri ubique volunt, omnes miserè divexant, & furiosè permiscent omnia.

Cæterum hæc patrum nostrorū aduersus Papas contentio fieri non poterat, quin fieret quoq; discidium. Itaq; Paparum adulatores iræ pleni, cupidissimè inculcabant nihil hoc aliud esse, quam se à Catholica Ecclesia segregare. Uti etiam Papæ videri volebant eos suis excommunicationibus ab Ecclesia Catholica abstraxisse. Verùm patres nostri de iis admodum securi erant: immò vero instabant atque urgebant summo cum studio, ut sibi à Paparum qui se in suo munere obeundo itat, rannicè

rannicè gererent, consortio quam primum recedere licet. Censebatque Turonense concilium, bellum etiam illis inferendum. Non quòd pii illi patres hoc unquam in animo habuerint, cum Ecclesia Catholica divortium facere. Illud enim probè sciebant, qui cunq; in Catholica Ecclesia sit, eum esse in domicilio Dei, in filiorum ipsius cœtu, & in recta, quæ ad vitam æternam dicit, via: Contrà verò quisquis in ea non fuerit, extra Christum esse: non domesticum, sed externum esse, nec hæreditatis promissiones habere: quisquis, ut breviter dicā, extra Ecclesiam sit, huic nullam salutis spem relietam esse. Quid ergo? A Papa cōmuniōne separatum esse, annon ab Ecclesiæ cōmunione separari erat? Hoc sanè quidē pro ea, quæ majorū nostrorum pietati & integritati debetur, observātia, nobis pernegandum, cùm ipsi se à Papis ultrò segregarint. Alioqui eò nū quamvenissent. Verūm hoc inde factū ab ipsis fuit, quòd aliter ab Ecclesia instituti essent, quām pōtificiæ dignitatis

studiosi ac fautores nobis inculcant. Etenim, si eos audiamus, non est hoc in Ecclesia esse, nisi Papam errare non posse credamus. Patres autem nostri, ut ex superioribus cōstituit, eorum sententiæ minimè assentiebātur. Non est hoc in Ecclesia esse (si modò fides illis habeatur) si quis pro certo non habeat Papam summum ubiq; moderatorē & praefectum esse , atq; utrumq; gladium habere : At patres nostri hoc illi nunquam cōcesserunt. Non est hoc in Ecclesia esse, ut id etiam nobis objiciunt, si quis ingenio sit ita comparatus, ut omnibus Papæ mandatis, qualiacunq; tandem illa sint, parēre nolit. Patres verò nostri ad hunc sibi modum imperari passi non sunt, sed judicio prudentiaq; adhibita, quicquid sacrīs scripturis minimè consentaneum videbatur, et si à Papa manaret, id planè rejiciebant. Idem appellant eos hæreticos & excōmunicatos, qui ea nolunt in suos etiam reges admittere, quæ suis Bullis impecrant. Patres autē nostri id prorsum negabant, atq; Paparum excōmunicatio-nes

nes cùm deridebant, tū minutatim dissecabant: quinetiā Papas, qui potestatē in hoc regnum sibi vendicarēt, fatuos, insanos, atq; adeò hæreticos appellare nō dubitabant. Atq; hæc ita omnino, ut dictum est, se habere, senatuscōsultis, decretis, variis quoque scriptis & actionib^o suis nobis cōfirmarunt. Quod si aliter, quàm faciebant, credidissent, in eo conscientiæ repugnassent: quod de tot claris piisque viris, qui nos ætate antecesserūt, vel cogitare est nefas: sanè, si in Ecclesia esse is non est habendus, qui in Paparum obsequio nō manet, neque illi totus adhærescit. Si verò nulla conscientiæ labe aliter faciebant quàm crederent, tunc aut errore, aut ignoratione peccaretur necesse erat. At extra omnē controversiam est, nostros illos patres iis, qui Paparū decretis omnino addicti & cōsecurati sunt, prudētia, eruditione & fide longè prēstitisse. Quomodo igitur, dicet aliquis, se in Catholica Ecclesia esse credebāt, interim dum à Papis dissiderēt, eosq; adeò armis peterent? Nempe ex

sacris scripturis & piorum Doctorum
libris persuasum benè penitus atq; cō-
firmatū habebant, Dei Ecclesiam nec
ex Papa, nec ex ulio alio mortali pēdē-
re. Nam si in Papa esset illius caput &
fundamētum, malè quidē ipsi cōsul-
tum fuisset, & adhuc esset, quis mis-
erium hominum etiā perfectissimorum
statū consideraverit. Præsertim quum
tot Papæ à multis extiterint seculis, va-
riis infandisq; sceleribus (ut ab ipsorū
historicis describūtur) cooperti & cor-
rupti, nullis etiam bonorum pastorum
notis insignes; quippe maxima ex par-
te Simoniaci, & viis atq; artib^o, quæ cū
legitimæ vocationis regulis (quales in
propriis ipsorum canonibus scriptæ
reperiuntur) è diametro pugnant, ad
Papatū ingressi: alii manifestò hæreti-
ci, & à fide aberrātes, atq; alieni, quos
ideo Academiæ nostræ caussâ diligen-
ter disceptata gravi infamia multatos
dānarunt. In iis verò, quas ppè conti-
nuas adversus Germanos Imperatores
habuerunt, cōtentionibus, nec non in
suis ipsorū, quas inter se quum de sedis
prima-

primatu dimicarēt, exercuerunt controversiis & dissensionibus, quænā recta illorū conscientia, quis pacis & cōcordiē amor, quę etiā integritas & sinceritas exstittit? Patres nostri qui horū omnium testes erāt, omnemq; Paparū vitā penitus cognitam habebant, non potuissent unquam in animū hoc suum inducere ac planè credere, Ecclesiam ex eorum auctoritate pēdēre; ac si in Ecclesia esse velimus, Papis necessariò adhærescendū esse. Quid ergo? Christiani illi erant, profitentes se Prophetarū & Apostolorū doctrinam credere, Christū ut servatōrē suum agnoscere, Deū colere, & in ea, quę fuissent in sanctis Patriarchis, Prophetis & Apostolis, & in omnibus Dei electis, qui in universo mundo vocati fuissent & es- sent, fide manere. Ex his certò sibi persuadebant, etiā si Papa destituti essent, se tamē in Catholica ecclesia esse: ac dū Christū haberēt (in cuius tutela & du- ctu longe tūtiori, q̄ in illo Paparū con- quiescerēt) Ecclesiæ spōsum verūq; p- fectū & caput, ac pastorem pontificēq;

summum, se habere. Nec firmiora & arctiora concordiae, qua Ecclesiae Catholicæ coniuncti essent, vincula requirebant, quam eiusdem corporis in Christo membra esse, eodem cum fidelibus omnibus spiritu regi, eadem fidem, eundem etiam Baptismum habere. Patres nostri à Papis distracti, atque adeò ad bellum iis inferendum coacti, hisce cōsolutionibus & persuasionibus aduersus eos, qui divortium a se cum Ecclesia factum sibi exprobarent, animos suos confirmabant: atque totius veteris Ecclesiae, quæ Papis subiecta nunquam fuerat, statum, uti eas etiam Ecclesias quæ de Primatu cum Papis contenderat, sibi proponebant, quas tamen Catholicæ Ecclesiæ membra esse negare non poterant, etiamsi in eo graves Papis adversariæ essent, ut & Africanæ Ecclesiae D. Augustini tempore fuerunt. Paparum fautoribus, à quibus probrose excommunicati appellabantur, objiciebant summos in Israelitica Ecclesia pontifices nec scel nec iam primum à recta via desle-

deflexisse, & tyrannicum dominatum occupasse, dum excōmunicabant, atque anathemata, execrabilisque eos pronuntiabant, qui secum non facerent. Atenim illi, quos diris ita devovebant, Apostoli erant, veriq; fideles & Christiani, qui vera Ecclesia Catholica erant, non autem ambitiosi isti Christi hostes, qui primum sibi in Ecclesia locum tribuebant, in qua tamen nihil loci omnino haberent. Confidebant, quandiu ex vero Ecclesiæ capite, & nostræ omnium salutis auctore pendérent, non posse unquam à Deo & Ecclesia, quantumvis & Papæ & inferi omni ope retinerentur, divelli: omnesque Paparū omnium Imprecationes gloriæ sibi & saluti fore. Ex his igitur apparet patres bona fide à Papis se astraxisse, regiis edictis, supremæ curiæ decretis & conciliis, & eò quidem usque, ut bellis etiam eos invadere nihil dubitarent.

Ego verò imprimis optavi ut in majorum nostrorum historiis hæc & alia hujusmodi attentè considerarentur,

ut ea in his, quæ Papæ per suas Bullas nobis facessunt, negotiis, in usum nostrū referremus. Papa Sfondrat⁹ quod his cōtrā objiciat, nō habet. Ille enim ipse in sua ad Nobilitatem & populum universum monitoria Bulla eximiam régum maiorumq; nostrorū pietatem ac religionē laudat, quòd piis in Deū Deiq; Ecclesiam officiis Christianissimorum nomen adepti fuerint: additque eos, quo propriū avorum suorum exempla sequentur, eò propriū ad veram quoque nobilitatem accessuros. Quid autem illi præstiterint, suo nos exemplo docēt. Primi ex Merovingiorum prosapia reges ad Pepinum usq; (quantum ex historiis colligere licet) non magnam admodum Paparum notitiam unquā habuerunt. Per ea enim tempora non magni adhuc nominis erant. Carlinis Papæ subjecti erant, eorum gratiam & subsidium emendicantes, in suisque electionibus & gravioribus etiam aliis rebus ab illorum nutu & auctoritate pendentes: ut ex Chronicis & aliis eorum

tēporum monumētis facilē pbari potest. Non quōd maxima jam tunc ambitione & summo crescendi desiderio non flagrarent. Sed non audebant ita apertē, ut postea, regibus nostris molestiam exhibere. Unas tantummodo occasiones cupidē captabant: ut ii facere solent, qui clām, & occultē aliquid moliuntur. Si qua in regum familiis discordia esset ob uxorē quādam repudiatam, quæ magnæ auctoritatis principes cognatione contingeret, eò, tanquam ad rem patrocinio dignam, & ex qua præmii aliquid se relatuos sperarent, avidē se conferebant, sua & obsequia & excommunicationum fulmina oblaturi. Si ad has controversias disceptandas ac componendas adhiberentur arbitri, ea re ad potestatem suam constituendam abutebantur, hinc scilicet jus in dirimendis principum omnium litibus captantes: Ut Nicolaus primus in Lotharii regis cauffa. Sed iræ imprimis & contentiones, quæ inter principes erant, luculentæ illis & valde speciosæ

causę videbantur, quas etiam cupidissimè artipiebant, ut inde compendij aliquid fäcerent, & in aqua, ut dicitur, turbida piscarentur: ad eos se adiungentes, per quos potentiam suam amplificarent. Omnibus tamen suis artibus & machinis efficere non potuerunt, ut juris aliquid in hoc regno conseruerentur. Magna extitit filiorum Ludovici pij adversus suum ipsorum patrem coniuratio. Ecce Papæ in medium hanc tēpestatem illico se conciunt, nec ad patris, cuius causa iustior erat, sed ad filiorum partem, eamque deteriorē se applicāt, ex qua nimirum maiorem quæstum se consequuturos putabant. Nam Ludovico patri semper subiecti fuerant, nec quidquā uberioris & quæstuosius ex eo obtineri posse sperabant. Sed suum studium & operam ad liberos deferendo, sibi certò pollicebantur, si superiores essent, amplam se remunerationem adepti. Gregorius igitur 4. in Galliam venit, Ludovicum ab Ecclesia abdicaturus, ut quidē plerorumque omniū opinio

opinio hæc erat: sed continuò compērit Regem eare nihil moveri, ac regni Episcopis certum deliberatumq; esse, sibi resistere: Itaque à consilio suo destitutus, simulavitque se eo animo venisse ut pacem inter patrem & libe-
tos conciliaret. Qui res eo tempore gestas memoriæ prodiderunt, ajunt Episcopos summa voluntatum & sen-
tentiarum consensione decrevisse, se
Papæ quanquam excommunicatio-
nes suas minanti non obtemperatu-
ros, voluntatique illius nulla in re ces-
furos: cumque adeò, si excommuni-
catus veniret, excommunicatum
rediturum. Ea ipsa sunt eorum verba:
propterea quod perspectum penitus
ac persuasum haberet, Papæ non ma-
jorem quam sibi ipsis potestatem esse.
Hoc verò & in ejus temporis annali-
bus, & in eo qui Aimonii Monachi
historiam persequitur, & in pervetu-
sto quodam, quod D. Dionysii dicitur,
Chronico scriptum extat. Atque illud
primum habetur Paparum adversus
Reges nostros tentatum præludium.

Deinde ex cōtentionibus inter Ludo-
vici pii successores exortis, commodis
suis consulere conati sunt, sed nihilo
plus quām antea promoverunt. Post
primos autem Carlinorū familiæ prin-
cipes, ut major Papis ab aliis nationi-
bus honos tribuebatur, sic Reges no-
stri plusculum aliquid, aliorum potius
exemplo, quām ullius juris ratione, iis
tribuerunt. At ut sibi dominarentur,
ut regno imperarent, ut de se, suoque
statu pro animi libidine statuerent, pa-
ti certè nunquam potuerunt: immo
verò protinus omni ratione, & marte
etiam aperto, infestisque armis
se se illis interdum ob-
jecerunt.

TER.

TERTIA PARS,

*Quæ est rerum à majoribus nostris ad-
versus Papas gestarum, ad eas, quæ hoc
tempore occurrunt, accommodatio, ut
quid nobis hic agendum sit,
intelligatur.*

PRÆCLARE admodum ab ora-
tore olim dictum est, cùm historia
sit fidelis temporum testis, lux veri-
tatis, vita memoriæ, nuntia vetusta-
tis, eam quoque nobis eadem opera
magistram vitæ esse. Cùm enim quæ-
dam incidunt, quæ aliquando antè
acciderunt, tunc veterum monumen-
ta exquirimus, ex quibus quid viri
doctrina virtuteque præditi in iis ege-
rint, & quid iis inde evenerit, planè
cognoscamus: illudque nobis magi-
stri fidelisque consiliarii vice est, à quo
docemur, qua fide animique præsen-
tia, sublata omni dubitatione, nos
in iis gerere debeamus. Ad eaigitur,
historias, quæ supra commemoratæ
sunt, & quid in illis observatum sit,

referemus & accōmodabimus. Fran-
corū historiæ, in iis quæ ad prima hujus
Monarchiæ tempora pertinent, man-
cæ quodammodo & imperfectæ sunt:
quòd prisci illi Galli benè rem gerere
mallent, quàm multa scribere. At de
postremis temporibus, in quæ Paparū
cōtentiones inciderunt, pleniores ex-
sunt, certiores, & pluribus testibus in-
structæ. Nec dubitandum est, quin
hoc Dei providentia ita cōtigerit, qui
multò antè provideret, quàm difficile
nobis fuisset in tā gravi & ancipiti con-
tentione certi quidquam statuere, nisi
narratum nobis probatumq; scripto-
rum diligentia fuisset, quid Patres no-
stri à Papis indignè provocati, & sacris
interdicti prēstiterint: propterea quòd
de religione hīc etiā agatur, quæ scru-
pulum & dubitationem animis nostris
injicit, unde optima sēpe consilia im-
pediri solent. Verū Majores nostri
ejus rei viam, quam ducebant esse re-
ctissimam, tam multis ac præclaris ex-
emplis tritam passim reliquerunt, ut
si modò velimus, errare minimè pos-
simus.

simus. Ea verò non semel, sed sæpe numero acciderunt. Consilia non unius, aut paucorum hominum sunt. Solennia sunt senatus consulta, & gravissima ordinum conciliorumque decreta. Quod ad eorum exitus effectaque attinet, si paulò attentius consideremus, quales fuerint Paparum & factiosorum, quos suis artibus & opibus ad suam causam suscipiendam allegerant, conatus & machinæ: quam luctuosæ tragœdiæ in Germanorum Imperio ab iis excitatae, quæ item aliorum ruinæ & mutationes: fatendum certè ac prædicandum nobis est, saluberrima fuisse ejusmodi majorum nostrorum consilia, sine quibus nullum jam regnum teneremus, nulla libertate frucremur. Ea igitur exempla magni apud nos esse debent, quippe quæ sint ejusmodi, ut nos fallere non possint. Ita ut, si queratur quid nobis hodie faciendum videatur, quum Papa excommunicationis fulmen nobis intentat, si regi parere sit animus, non magna hic deliberatione & consulta-

tione sit opus, in eo etiā quod de conscientiis agitur. exstat jam hæc, constatque planè sententia. Regni propria super hac re sunt nobis axiomata: Rex inde intelligit, quam virtutem, quāmque animi firmitatem & constantiam adhibere debeat: Senatus præscriptam in iis legem habet, quam sequatur: Clerus illic cernit, quid veteres regni hujus Episcopi & concilia de eo statuerint ac responderint: Denique nobilitas, militares viri, ac reliqui omnes docentur, qua fide & alacritate suo hīc Principi obsequi debeant.

Quoniam verò nullus est exemplorum usus, nisi res, ad quas probandas & illustrandas adhibentur, persimiles fuerint: ut nullus sit objectionibus relatus locus, docere mihi propositū est, nos in eadem omnino caussa versari in qua olim patres nostri versabantur. Si quid in ea re discriminis inesse videtur, id sanè quidem aut in Papæ proposito & consilio, aut in ipsius, & corum, qui hunc tātum motū mutationemq; moluntur, aut in regis ipsius persona insit

insit necesse est. In Papæ autem scopo nullum omnino discriminem existit. Papa quidem Sfondratus in suis Monitoiis Bullis, speciosis prætextibus nempe verbis sanctimoniac plenis, Dei nomine, Ecclesiæ cura, non caret: sed ea verba præpostero inversoque sensu accipienda sunt, & eadem omnino significatione, qua cætera quæ usurpare, nobisque identidem obtrudere solet, quū se servorū servum nominat, dum in thronū longè omniū excelsissimum ascendit, se omnium summum profitetur & gerit, ac regibus, principibus, Imperatoribus, imperiisq; omnib⁹ præfici dominariq; conatur, quum de sua submissione, & sua in nos benevolētia loquitur, dum tota mente in hanc curā incumbit, ut nos in miseram servitutem redigat, pedibusq; suis cōculcet & proterat: quū & is ipse & reliqui se Bonifacios, Clementes, Innocētios, Gregorios appellitant: præclara quidē ea nomina, quorū splendore, simplicium & rudium hominū oculos præstinguāt, dum pessimè de nobis merentur, dum

luporum noctu grassantium more ref-
 publicas diripiunt, mortiferisque vul-
 neribus cruentant: dum nos in imum
 inferorum barathrum conjiciunt, &
 tanquam furiæ quædam dies noctesq;
 pervigilant, quieti nec tantillum in-
 dulgentes quo nova malorum genera
 excogitent, civiles motus concitent,
 universum (ut verbo rem complectar)
 orbem incensione, internecione, va-
 stitate & interitu perdant. Sed venien-
 dum ad rem est, videndumq; quo pot-
 tissimum isthæc lenitatis species & ver-
 borum blanditiæ spectent. Sfondratus
 ægritudinem animi summā præse fert,
 quod in hoc regno tantopere ac tan-
 diu afflitemur, aitque se acerbissimo
 cordis cruciatu rumpi, quod ita per-
 turbemur, & à nobis ipsis discerpamur.
 At si tot tantæque nostræ calamitates,
 quibus ita divexamur, ejus mentem
 vel modicè tangerent, pacis incundæ
 viam nobis aperiret, & ad eam ingre-
 diēdam hortaretur: aut, si ad rem tam
 salutarem necessariamque mentem
 atq; animum adhibere negligeret, sal-
 tem

ad rem
 tandem
 aliquid

tem pateretur, ut de his controversiis componendis, & nobis in pristinam concordiam reducendis cogitaremus. Illum fugere non potest, non nunc demum Ecclesiam dissensionibus religionis ergo concitatis exagitari. Ab ipsis Apostolorum temporibus, saepeque postea id mali Ecclesiam invasit. Necis ignorat harum controversiarum dirimendarum rationem, arma apud veteres non fuisse, quae jam tanto furore & pertinacia intentantur, sed concilia & placida colloquia. Si tranquillitati, utilitatique nostrae consultum vellet, ille quidem se in nostri pacificationem interponeret, à diuturniore graviore que contentione nos revocaret, has ad regni incendium accensas faces restingueret, & ad arma deponenda hortaretur: Regem etiā Hispanię & alios principes finitos deprecaretur, ut per eos nobis aliquando quiescere liceret. Deinde regi nostro & aliis Christianis eodem animo & studio principibus præsto esset, suam opem & ope-

ram pollicens ad salutare pliumq; consilium convocandum, in quo omnes de religione controversiae quiete dirimenterentur, & Christiana Ecclesia à tot perturbationibus cladibusque liberaretur. Si id efficeret, nosq; ad omnem animorum acerbitatem exuendam, ad omnes injurias ex animo delendas, ad nos mutuò reconciliandos exhortaretur: e quidem illum nostris malis misericordia commoveri, nosque amore prosequi crederemus: ac tunc verum illum & Apostolicum spiritum, qui in D. Petro, in D. Paulo piisque aliis Dei servis, Ecclesiaeque patribus elucebat, in eo agnoscere mus, & laudaremus. At nihil aliud quam bellorum cōtinuationem proponit: etiamsi potuerit, quot quantisq; miseriis ab annis triginta oppressi fuerimus, intelligere, & longa experientia cognoscere, bella inter nos civilia non esse accommodata ad nos in eādem religionem concordiamq; revocandos, remedia: sed & potius addere oleum, quod aiunt, incendio, ac totius

totius regni perniciem & exiliū accelerare. Idem conjurationem rebellionemq; auctoritate sua cōprobat. Bullæ illius huc tantūm spectāt, ut à rege nostro deficiamus, si nōdum defecimus; hoc, inquam, suadent, ut bellum adversus principem, cui non desunt idonea ad sui defensionem subsidia, perpetuemus, & ad mutuam internecionem ac lanienam immortali exitiali- que bello ruamus. Illius igitur omnia de sua misericordia, tristitiaque verba, Crocodyli sunt lacrymæ, mera simulatio est. Qualis cæterorum Paparum scopus fuit, dum summi iuris in temporalibus & spiritualibus nomine, hoc sibi olim sumebant, ut hoc regnum, cui pro arbitratu suo imperare liceret, sibi subiicerent. Talis omnino Sixti postremi scopus fuit: talis etiam hujusc Sfondrati nostri mens & cogitatio, qui suas ad nos bullas hoc consilio mittit, ut obsequiū à nobis extorqueat: sperans tantillâ mēbranâ plûbeis orbiculis armata, totū terrarum orbē permiscere posse. In verbis quidem totaq;

oratione plusculū artificij , plusculum
etīā moderationis inest, quām in Bo-
nifacii & aliorū ejusmodi literis, quōd
sciant in ea se devenisse tēpora, quum
Papa non eo loco & numero habetur,
quo antea. At imperandi vbique cum
summo jure eadem certè omnino vo-
luntas. Nomina hæc Bullis illius præ-
fixa, *Servus servorum*, *sancta sedes*, &
ejusmodi alia, tituli sunt perhonorifi-
ci, qui ad alias summam auctoritatem
deferebant. Et quidem Sfondratus nō
ita potest ingeniuū suum dissimulare,
quin velit hoc de se nobis penitus per-
suasum esse has suas omnes cogitatio-
nes noctes diesq; (sic enim loquitur)
cō duntaxat pertinere, ut alium nobis
regem substituat. Ea est sollicitudo,
quæ cor illius exedit & urit: ille animi
labor est & vexatio, quæ illum respira-
re non sinit. nempe obtinere à nobis
vult quod decessores à majoribus no-
stris nunquam obtinere potuerant,
summam in hoc regno potestatem,
per quam totius regni status ab eo uno
pendeat. Nam si hanc, quam molitur,

rerum

terum mutationem invehere potest,
& regem ex animi sui sententia con-
stituere, quid jam majus ad summam
in totum hoc regnum potestatem de-
siderare poterit? Atque hæc ambitio
non minus in hoc, quam in majoribus
ipsius instructa est affectibus, iracun-
dia & odio in hoc regnum concepto.
Non minus etiam quam cæteri in ani-
mo habet, regiam familiam funditus
extinguere, & ad mutuam carnifici-
nam nos concitare: Ut impedimentis
omnibus, quæ illi obstant, quo minus
regnum ad alium transferat, se sc hac
ratione explicare, atq; viam Hispanis
(quo spectat illius animus) aperire,
nosq; omnes durissimo miserrime ser-
vitutis jugo subjicere possit. Hæc cui-
vis obvia cognituq; facillima sunt. Vis
semel dicam? In Papæ Sfondrati & de-
cessorum ipsius, infestorum regni Gal-
lici hostium proposito nullum certè
discrimen apparet, nisi hoc verè unū,
quod furor major jam exardescere vi-
deatur, quam antea. Conjuratio enim
aduersus regni statum eadem semper

conflata est, cum qua finitimi hostes
 sua arma, populus religionis specie de-
 lusus & excæcatus, rebellionem; Papa
 verò suas de more fulminationes con-
 jungunt. Pactio de hac regni aliena-
 tione jam dudum inter Papas & Hispa-
 nos facta est. Papa præmium hoc ab Hi-
 spano pactus est, ut Ecclesiæ universæ
 primatum in hoc etiam regno pecu-
 niis & armis Hispaniæ tranquillè obti-
 neat: Rex verò Catholicus hoc vicif-
 sim à Papa est stipulatus, ut Papæ ex-
 communicationibus instructus, & in
 Gallia & in reliquis Christianæ professio-
 nis finibus summū Monarchæ impe-
 rium & autoritatem consequatur. Ita-
 lia, ut eò facilius perveniretur, no-
 bis adempta est. Illius principatus, Ro-
 manæ Ecclesiæ beneficiarii, ad Hi-
 spani ditionem & Imperium translati
 sunt: suffragia in purpuratorum Car-
 dinalium cōclavi imminuta nobis, Hi-
 spanis verò aucta sunt: Concilii Tri-
 dentini aetu, præcipua sedes nobis e-
 repta fuit, & Hispanis attributa: Ideoq;
 seditionum faces in nobis, sub zeli &
 religio-

religionis nomine accendunt, ut nos
viris, viribus, opib⁹, & mutua benevo-
lentia exuti, illis ipsis, qui infestis ani-
mis, funestisque armis nos invadunt,
dedamur.

Quod ad Papæ Sfondrati (ut & Si-
xti decessoris, qui defunctum regem
suo quoque fulmine aggressus est) per-
sonam attinet, non plus equidem pie-
tatis, non plus veri zeli & integritatis
in eo, quam in aliis reperiemus. Ro-
manum se Papam vocat: nomen il-
lud est, quo veteres Episcopi cognos-
cabantur. Hoc nimirum innuit,
si saperet & optimi Episcopi Roma-
ni (quales primi illius Ecclesiæ Epi-
scopi fuerunt) munere fungeretur,
nihil curare & agere aliud debere,
quam gregem suum Evangelii prædi-
catione pascere. Constat, qualis fue-
rit à multis sæculis Urbis Romæ sta-
tus: Quam amplam piis & eruditis
viris ut Petrarchæ & aliis, ipsi etiam
divo Bernardo de illa scribendi mate-
riam suggererit, tanquam de fœcun-
da omnium flagitorum, turpitudi-

num, & abominationum matre, de Ba-
bylone quadam, atq; adeò de Sodoma
& Gomorrha ipsa, & si quidquam aliud
in universo Mundo unquam fuit sce-
leratus & detestabilius. Sed ea hodie
longè depravatior & corruptior eva-
sit. Si Sfondratus bonus esset pastor,
qualis haberi vult & dici, atq; aliquo
duceretur muneric sui obeundi stu-
dio, satis domi haberet quod ageret,
in expurgandis & emendandis Cleri-
sui sordibus, & omnibus urbis suæ par-
tibus. Sed his minimè movetur: lon-
gè altiora & magnificentiora medita-
tur & suscipit. Quis tamen credet il-
lum zelo satis ardenti flagrare, satisq;
magna sapiëtia præditum esse, ut uni-
versum terrarum orbem satis dignè
moderari possit, & bonum etiam pa-
storem, ut se se nobis venditat, inter-
nos agere, cùm nullam suæ familię cu-
ram habeat, & vicinorum saluti nullo
modo prospiciat & consulat? At Evan-
gelii prædicatione gregem pascere,
humilius quiddam est & vilius, quàm
ut Papā eò se demittere deceat. Hoc
etiam

etiam restrictius est ac servilius, si aliis ad placidiorem & modestiorem vivendi rationem exemplo esse cogeretur. Arrogantia, quæ ab istis terrarū & imperiorum omnium dominis ad alios perpetua serie trāsit, longè sublimiora petit. Episcopatus jamdudum iis sordet. Successionis, paupertatis & ignorantias Apostolicæ eos jampridē tædet ac pudet. Principatū spirant, Dominatum noctes diesq; cogitāt. Quòd si Apenninus, superumq; & inferum mare, istam superbiam capere & coercere possent, ferenda ea utcunque videretur. At ea est isthæc ambitio & avaritia, quæ totum terrarum orbem pervadere, quæ omnia effodere, congerere & vertere, sibique vendicare possit. Tota illa dignitas, mera est magnificētia, merus luxus, metæ voluptates & deliciæ. Quin eò furoris & fastus vētum est, ut si vilissimus quidam Capratius (cujusmodi olim Sixtus fuit) hoc summum totius orbis imperium assequutus fuerit, amplitudo & sanctitas illius postulet, nō esse prius

ex hac sibi vita emigrandum, quām filios ac propinquos suos Duces, Comitesque de illo D. Petri scilicet patrimonio effecerit: & si fieri potest, bellum aliquod conflauerit, cui gerendo eos præficiat. Quod nunc Sfondratus agit, dum copias sub consanguinei suī ductu & auspiciis in nos immittit. Ut autem sumptus ad eam rem necessarii suppetant, illi sunt subvertenda, cvel-lenda, dissipanda omnia (His enim verbis Sixtus in sua adversus defunctum regem Bulla utebatur, Jeremiæ loco abutens), hoc est, mundi regna & im-péria evertenda illi sunt, ut nova alia excitentur. Sed diutius hanc Camari-nam movere non est animus. In ser-mone de illorum in principes nostros studiis & actionibus instituto manea-mus, & ex insignioribus quibusdam illorum actis videamus, an hi postre-mi Papæ saniores sint (quod ad ipsorū personas attinet) & sanctiori spiritu re-gantur, quām alii quibus successere, Sixtus ille (cujus modò memini) ex re-centioribus illis primus fulminibus &

excom-

excommunicationibus principes nostros est aggressus. Audiamus verò qua ^{in re reipublica} moderatione & modestia. Auditastam ^{ad Bellum} Guisii Ducis & ejus fratris morte, Papa iste videns cruentæ hujus contra Henricum tertium conflatæ conjurationis (cujus caput & auctor erat) spem infractam & desperatam esse, pro ardentissimo in Catholicam Ecclesiam zelo, incredibili quadam iracundia vel potius furore correptus, nulla hīc legitima actione, ut nec in superioribus regis nostri, qui hodie rerum potitur, ac defuncticognati illius Condéi principis excommunicationibus mature observata, fulmina sua statim arripit: præ desperatione perstrepit, fremit, spumat ex ore scelus, crudelitatem anhelat, diras concrepat, insano murmur complet omnia, horribilibus minis exarce sua tonat: & vindictæ æstu quodam absorptus, furias ex ipsis inferis excitare statuit, per quas populum Gallicum aduersus regem & moderatorem suum concitet, eum & hæreticum & hæreticorum fautorem, &

Ecclesiæ hostem pronuntians : Eum ipsum, inquā, quem paulò antè ob singularēm suam pietatem, laudibus in cœlum ferebat, quem filii nomine ornabat, quem etiam Christianissimum regem appellabat. Præclarum verò Papæ illius judicium, recta conscientia, & paternus, quo se Galliam nostram prosequi dictitabat, animus : denique candor & integritas, quam tum ipse, tum alii in suis emittendis excommunicationibus adhibuerunt. quid enim caussæ apparebat, quamobrem defunctum regem ut hæreticum, & hæreticorum patronū criminaretur? quænā occasio subesse videbatur, cur principem ab Ecclesiæ communione abstraheret, qui à subditis suis debitas ac meritas pœnas gladio sibi à Deo tradito persequutus erat, & se quidem ab imminentि ac dudum meditata cæde, populum verè à misera servitute vindicaverat? Deinde cùm nostri conjurati per emissarios suos Romanam effusis habenis contendentes, pontifici & expetitam & machinatam tamque

que diu tantoque opere regis à Monacho quodam perfidè interficti cedem renuntiassent: quo ore, quáve fronte, effrænatam illam ex facinore ita inaudito & horrendo, & ob quod stupore omnia perculta, lacrymis omnes perfusi erant, cōtractam lātitiam dissimulavit? Totâ Româ omni voluptatum & triumphorum genere exultante vel bacchante potius, Sixtus Cardinales & alios clientes suos in consistorium cōvocat, concionem Papalem apud eos Nota Iano habiturus. Id actum 11 Septemb. 1589.

Ejus argumentum fuit, proditorem illum & perfidum Monachum sui regis parricidam, in Divorum numerum referendum, illiusq; zelū magnificis laudibus ad astra usque extollendum esse.

Quoniam verò non ignorabat in comparationibus plurimū inesse momenti ad præclarum aliquod facinus exagerandum, si cum laudabilissimo alio quodam conferatur: cùm nullum satis gloriosum facinus in iis omnibus quæ de heroicis illustrium virorum actis referuntur, illi occurret, quod cum illo

conferri meritò posset : ex Deo ipso
 comparationem illam repetit (tantam
 scilicet Dei operam , & eorum maxi-
 mè quæ in nostra redēptione cernun-
 tur, rationem illius sanctitas habuit) ac
 principis Christiani parricidiū, mona-
 chi ipsius subditi perfidia patratū cum
 mundi creationis opere (horresco re-
 ferens) atq; adeò Incarnationis Chri-
 sti, & aliis salutis nostræ mysteriis com-
 parare nō v̄eretur. In secunda pontifi-
 ciæ illius cōcionis parte, demortui re-
 gis, quē nefariis suis cōsiliis crudeliter
 trucidandum curaverat, infandis mo-
 dis lacerat. Tandē omni contumeliarū
 genere bacchatus (pro ea quam Papz
 quod malū est, bonum judicādi , & ita
 quidem, ut nulli refellere id impunē li-
 ccat: itēmq; ad inferos etiā ipsos quo-
 cunq; & quomodo cunq; libuerit, de-
 trudendi sibi sumunt, potestate ac li-
 centia) è suo suggesto declarat, regem
 apud inferos damnatum esse , pecca-
 tum adversus spiritum S.admisissc, nec
 preces pro illo esse fundendas. Quin
 & sancit, ut omnibus justorum fune-
 brium

Nota
 de papz
 fūrīa.

brium honoribus, quibus principes
ornari solent, privetur. Quæ quidem
egit omnia, tanta & animi acerbitate,
& orationis acrimonia, ut, si mortui
cadaver Romæ fuisset, proculdubio
de illo aut in fœtidam cloacam, aut in
sterquilinum quoddam projiciendo
sententiam fuerit latus. Illius dein-
de sanctitas de Dei providentia & ju-
stitia sermocinatur, tanquam si divino
spiritu Monachus ille afflatus impias
manus Domini uncto injecisset, divi-
na etiam virtute ideo cōfirmatus, tam
immane parricidium cōfidentius pa-
trare ausus fuisset. Ut paucis dicam, il-
lius concionis hic unus scopus fuit, ut
perfidum illum sicarium & sui etiam
regis (à quo fuerat summa humani-
tate receptus & intromissus) homici-
dam magnifice prædicaret, & cum
divis adeò ipsis æquaret. En Evange-
lium, quod Sixtus Papa Romæ annun-
tiabat. Quis nostrū arbitratur id po-
steritati credibile fore? At Papa eam
orationem intra cōclavis septum con-
tineri non passus, in vulgus edendam

curavit: usq; adeò eam probabat, & ad prodenda nationibus omnibus, & toti etiam posteritati manifesta suæ eloquentiæ, doctrinæ & summi in Catholicam Ecclesiam zeli testimonia satis virium habere judicabat. In hac verò tanta, qua tunc fruebatur, alacritate & lætitia, ecce aliis de Henrico 4 felicissimè recepto, déque admirabili principum, primariorum coronæ ministrorum, Nobilitatis, fideliumque Gallorum consensu ad restituendam illi regiam auctoritatem, & regis mortui cædem vindicandam, nuntius intervenit. Audito verò Henrici 4 nomine totus cohorruit Sixtus, simul & magis ac magis furere bacchariq; cœpit, quum videret, eum, quem suarum excommunicationum vi omnino exaugurasse putabat, in thronum regium evectum esse. Comminiscitur, sècum animo volutat, consilium cum suis captat, decernitque tandem universum potius Acheronta movere, quàm patiatur regni Gallici administrationem in ejus manu esse, cuius nomen egre-
giáque

gique facinora & virtutes terrorem
sibi horroremque singulis horarum
momentis incuterent. Dum ea dubi-
tatione aestuaret animus, seque in o-
mnem partem subinde versaret, Jesui-
tarum & Ecclesiasticarum Parisien-
sium decreta ad eum afferuntur furo-
ris & sanguinis plena. Sixtus occasio-
nem arripit, speratque satis inde & ar-
gumenti & præsidii nactum se esse, ad
regem vel chartulæ frusto opprimen-
dum, dummodo chirographum suum
illi apponere. Sed in ea jam tempora-
ventum est, quum Papæ non tam fa-
cile quam olim tenebras nobis offun-
dunt, nec in suam qualem cunque sen-
tentiam trahunt. Earum propositionum
hæc erat sententia, jure divino (hoc est
eorum, qui se Deos in terris profiten-
tur, jure) Gallos non posse Henricum
4 pro rege suo agnoscere, sed debere
infestis armis usque persequi eum, qui
de pace cum illo facienda vel cum ani-
mo suo cogitabit, pro hæretico haben-
dum: contraria, qui in sacro hoc bello pro
Romana Ecclesia, pro regni libertate,

pro harum propositionum auctoritate
 tuenda suum sanguinem, vitamque
 effunderent, beatissimos Martyres, u-
 no quidē martyrii genere, perpetuò
 fore. Id factum est 14 Martii mensis
 die Anno 1590, eo ipso die, quo Deus
 in Santandræa planicie ad fluvium, qui
 hodie Eurus dicitur, longè alia manū
 consignabat futuri coniuratorum ex-
 cidiī decretum, per victoriam quam
 Regi nō Bullis. i. verbis & nugis, sed re
 vera dedit. Atq; hęc consiliorum &
 actionum Sixti contra Reges nostros &
 hoc regnū specimina qđam feruntur.

De gege
 ria 14

Sfondratus illi in Papatum succel-
 sit (Deus enim per feralem & atratum
 lictorem, provinciæ administratæ ra-
 tionem ab illo mox repetiit). Hic sum-
 mus pontifex inauguratus successoris
 sui Spiritu imbutus illico, indutusque
 fuit. Atq; ut pactionem cum Hispano
 rege (cujus cōsiliis & corruptelis pon-
 tificatum erat adeptus) factam præsta-
 ret, & Galliæ occupationē faciliorem
 illi efficeret, majora etiam & graviora
 quam Sixt⁹ in animo suo molitur. Six-
 tus

tus enim bullis nos terrere & decretis contentus, de ærario augēdo magis laborabat: Hic verò ut olim Julius 2, clavibus S. Petri & spiritualibus armis, quæ in Sixti manibus parùm omnino potuerant, nō admodum confidens, utendum sibi gladio putavit. valde stomachatus, quòd per ingravescentis senectutis incōmoda thorace quoq; armari, & in equum insilire, Julii in modum, non posset. Sixtus brevi tempore ingētibus gazis arcas suas collocupletaverat; hic sacrilegas manus illis afferre audet, tantum nummorū crepturus, quantum ad cōparandum exercitum satis esset. Deus tunc ex alto intonuit, & fulmine Capitoliū percussit: Unde populus Romanus id, ut infaustum & ominosum incepti pōtificii auguriū, accepit, obmurmurans illiusq; consilia detestatus, quòd pecunia, quæ adversus infideles Turcas destinata erat, contra Christianos impenderetur, & cōtra illud regnū præcipue, quod præcipuum semper fuisset, Christiani imperii propugnaculum & salus. His igitur auspicis Sfondratus pontificatum

Nota

init. Ego autem istorum pontificum,
qui & harum perturbationum auto-
res fuerunt, & perniciale hoc bellum
nobis conflagrunt, facta aliquot de in-
dustria proponere volui, ut docerem
inter eorum, qui olim & regum & re-
gni hostes fuerunt, & horum, qui ho-
die dominantur, furores nihil omni-
no interesse: Ac proinde, ut in belli,
quoniam nos vexant, causa nihil dissimile
est, ita quoque, quod ad eorum per-
sonas attinet, nihil omnino nisi forte à
majori ad minus fiat collatio, dissimile
esse. Nam verè fatendum nobis est su-
periores illos Papas, quātumvis effra-
nata adversus Patres nostros audacia
& væsania insignes, ab horum tamen
odiis, furoribus & violentia longissi-
mè abfuisse.

Iam hoc restat, ut expendamus, An
in Regis persona dissimile aliquid vi-
deatur. Nihil autem omnino dissimi-
le esse, ex his quæ dicam, probaturum
me spero. Et quidem quin Rex verus
sit & legitimus regni successor, coniu-
ratorum adhuc nemo in disceptatio-
nem

nem quæstionemq; vocare ausus est,
nec Hispanus, nec Sabaudus, nec Guy-
sius, nec Lotharingus, nec Papa: etsi
horum singuli, pro sua quisque parte
in regni societatem venire contem-
dant. Quin ille etiam regno sit dignis-
simus, & præclaris omnibus virtutibus
ad amplissimum regnum gubernan-
dum necessariis instructissimus, con-
juratorum certè illiq; infestissimorum
hostium (etsi ambitiones & impu-
dentia eos omnes qui antea fuerunt
superatium) nullus id negare unquam
auit. Etenim pacis belliq; artes, qui-
bus inter cæteros maximè princeps il-
le floret, tam magnæ tamque illustres
sunt, ut nullus existat, qui de eo aliter
aut sentire aut loqui possit. Quamob-
rem, eū tot animi corporisq; dotibus
clarum omnes (eos dūtaxat unos, qui
cum insignibus barbarū pectus, arma-
que Hispaniæ hostilia induentes, Gal-
licum simul animum exuerunt, sem-
per excipio) veri, inquā, Galli omnes
eum, Dei beneficio amplectuntur, a-
mant, prædicant & colunt, ut nullum

ex ipsius maioribus unquam magis.
Quin & ingenuè agnoscunt ac profitentur, tali nobis Dei ipsius benignitate peropus fuisse, qui sua prudentia animique magnitudine Gallicum regnum ex hoc, quo demersum est, naufragio, eripiat, & in optatum portum, in pristinam videlicet dignitatem ac splendorem restituat. In quo igitur à priscis regibus differt? Coniurati eum esse hæreticum, relapsum, excommunicatum criminantur. Mihi autem non est iam propositum longam & accuratam defensionem instuere, vt doceam id quod obiicitur falsissimum: & quanquam verum esset, eum tamen quando tales nobis Deus dederit, pro Rege habendum, illiq; obtemperādum esse. Hæc pluribus & accuratius in multis libellis in eā rē præcipuè editis disputata extant, quos lectoribus perlegere & diligenter examinare operæ esse pretium putto, ut huius quæstionis cognitionem explicatā illustremq; habeant. Paucis tantummodo dicam quantū satis esse
vide.

videbitur ad intelligendum statuendumq; nihil prorsus in hac tota cōtrovergia scrupuli esse, quod obstat debeat, quominus majorū adversus Papas exempla in hac & animorum cōtentione & armorū dimicatione consulamus, atq; ad imitandū etiam nobis proponamus.

Papę Regem hæreseos criminē damnarunt & à sacris abdicarunt. Ea verò damnatio nullius momenti esse debet. hic enim mos pro Paparum tyranide & furore invaluerat, ut Reges nostri quandocunq; iis ita liberet, hæretici, schismatici, & Ecclesiæ hostes, ut antea patuit, pronunciarentur, et si lōgè aliter se res haberet. Ita Sixtus Henricum 3 in crimē hæreseos recens vocavit, et si falsum id esse omnibus constaret. Papę ergo, qui mentiri consueverunt, & qui furore atque amentia cæci in summos quosque & optimos principes iniurias temerè & incōsidératè, ut bruta quædam fulmina, jacint, non sunt audiendi. Papæ etiam ipsi Regis nostri infensi adversarii infestiq; hostes, ea de resentētiā, quæ

fit alicuius quidem ponderis , ferre jure non possunt , nisi omnem & legum & iudiciorum ordinē pervertere velimus . His accedit regis ad concilium provocatio , quæ iudicio cuilibet moram afferre debet : & nulli , quanquam loco , genere ac dignitate longè inferiori , in re præcipue tāta , denegari potest . Ac nostri maiores qui toties ea usi sunt , quoties à Papis hæretici & excōmunicati declarabantur , id tanquam verum atq; efficax adversus omnem Paparum autoritatem remedium senserunt ac statuerunt . Addamus & hos Reges principesque nostros Paparum censuris ex ipsorum etiam (quum ad saniorem mentem redierunt) consensu & canonibus minimè obnoxios esse . Verūm , ut liberius dicam quod sentio , illud procul dubio constabit , etiamsi Rex , qualem obiiciunt , talis revera esset (quod Dei beneficio falso est , idque postea probatum me spero) iustum tamen Papæ caussam nō fuisse , cur nequid obsequii illi præstaremus ediceret , atque eorum , qui con-

conjuratione facta eum bello perse-
quuntur, rebellionem comprobaret.
Neque enim Papæ est ea de re quid-
quam statuere: Dei unius est, qui ei rei
jam providit, eamq; tam claris certisq;
in Ecclesia testimoniis comprobavit,
ut qui cōtrā differente volet, mala men-
te cum veritate ipsa pugnare sit judi-
candus. Dei est, inquam, reges & prin-
cipes in toto mundo constituere, &
quidē tales, quales ipse voluerit. Quū
verò eos constituit, Deiq; vocatio cer-
ta est, non jam contrā disputare, illi-
que repugnare licet. Id enim si liceret,
nulla unquam inter homines certa, fir-
māque vocatio constaret. huic nimi-
rum contra regem de hac re certamen
esset, illi de alia: & qui omni virtutum
genere cumulat^o multis placeret, plu-
ribus idem displiceret. Unde in regnis
& imperiis nihil unquā stabile, fixum,
ratumque permaneret; sed alia atque
alia subinde nasceretur mutatio & cō-
fusio. Regum autem vocatio certa est,
nec dubitare possumus quin Deus eos
nobis dederit, quum ordine & via uni-

cuiq; imperio majorum exemplis usi-
tata ac trita illos habemus: ibi electio-
ne, alibi sorte, h̄ic successione pro va-
ria variorum imperiorum constitutio-
ne. De vocationibus ordinariis loqui-
mur. In Galliis nostris Dei vocatio in
successione cernitur: quem ordinem
patres nostri probarunt, suisque & re-
gni totius rationibus opportunissimū
esse senserunt: atque reges suos à Deo
ipso hac sibi ratione & via dari ita agno-
verunt, ut potius, quam ei repugna-
rent, pueros pro regibus suis accipe-
rent: aliquando etiam eos, quod mirē-
re magis, qui nōdum nati erant, expe-
ctantes dum matres puerum enixaे fu-
issent: Si qui verò ex iis mente non ad-
modum valerent, id æquo animo rule-
runt, ita ut nihil illis de cōsueta digni-
tate & auctoritate detraherent. Cūm
igitur notum manifestumq; omnibus
fit, Henrico 4 regnum successionis or-
dine obtigisse (nemo enim in dubium
id revocat) haud dubitandū nobis est,
quin Deus illū nobis præfecerit, præ-
ceperitq; ut omnes illi obsequiū præ-
stemus,

Nemus, alioqui illi^o voluntati repugnatur. Omnis anima potestatibus supereminentibus (Apostolus ait) subjecta *Rom. 13.*
 esto. Non est enim potestas nisi à Deo,
 & quę sunt potestates, sunt à Deo ordinate. Itaq; quisquis se opponit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autē resistunt, ipsi sibi condemnationē auferret. En Dei decretū, contra quod contendere est nefas. Optandū quidem, ut principes omnes pii pbiq; essent, sed optio in uno Deo est, qui non semper bene moratos reges nobis constituit, seu populi plectēdi cōsilio, seu quacūque alia caussa ductus, pro variis iudiciorum suorum caussis, quę plerunq; nobis obscuræ & ignotæ esse solent.

Infideles verò, atq; in vera religione peregrinos & hospites, atq; adeò illius hostes, paganos aut alios ejusmodi, dubiū non est quin Deus etiam ipse constituat, velitq; ut omnes iis subjiciantur. Ad Dei enim mandata exempla etiam, quibus id probatur, multa accedunt. Nō citabo hīc omnia Apostolo-
Rom. 13.
Tit. 3.1 Pet.
2. 2 Pet. 2.
Jude 1.
1 Tim. 2.

cuique obvia sunt. Summa illuc pertinet, ut sciamus in iis à Deo præcipi, regem & eos, qui publico alicui muneri ab eo præficiuntur, principes & gubernatores honorandos esse: Ut breviter dicam, omni humanæ politiæ parentum, principum nostrorum prosperitatem optandam, votaque pro iis facienda. Illud autem de Imperatoribus & Magistratibus, qui tunc inter homines agebant, dictum erat. Nam Christus etiam ipse, ut omnem dubitationem tolleret, Cæsarem nominat, qui tum

Matt. 22. Imperator erat, dum ait, Reddite Deo, quod Dei est, & Cæsari, quod Cæsaris. Atque coram Pilato, qui Imperatoris nomine Judææ procurator erat, id de illo agnoscit. Illi autem omnes Pagani erant Ecclesiæ hostes, & fortasse omnium, qui unquam fuerunt, sceleratissimi principes. Sub lege, Assyrii totius orbis Monarchiam adepti, armis Judæos subegerunt. Deus populū suum per Prophetas docuit id ita ex decreto suo fieri, seque velle ut Nabuchodonosoris & filiorum ipsius imperio subjiceretur,

tur, ac pro eorum, quanquam flagitiosorum, & Ecclesiæ persequutorum salute deprecaretur. Non quod obtemperandum iis esset, siquid contra honorem & cultū, quem Deo imprimis debemus, imperarent. In eo enim genere, honor qui Deo debetur, primum locum tenere debet, ut monent Apostoli his verbis: Præstat obdire Deo quam hominibus. Sæc*i* Pro-
Aet. 4. 45.
 phetæ, Apostoli & martyres illud etiā ad hunc modum observarunt. Ut vero cives contra Principes se cōmoveant, seditiones concitent, imperia perturbent, obedientiæ & officii erga eos sui munera abjiciant, & relinquant, Deo certè nunquam placuit. Quod ad exempla attinet, id semper ita usurpatū fuit. Populus Israeliticus in Ægypti regum ditione potestatēque fuit (quam illuc tantum commoraretur ut hospes & peregrinus, non ut civis & incola habitaret) & servitutis, quāvis durissima, jugum cervicibus suis impositum patiēter tulit, nec de eo exutienīdo cogitavit, donec Deus liberatorē si-

bi exrra ordinem suscitasset: neque id tamē aggredi voluit, nisi cum bona regis ipsius venia. Postea captivi ad Assyrios abducti sunt, eisq; paruerūt. Christi verò tempore, & trecentis circiter ab eo annis, fuere imperatores perpetua serie pagani, & in provinciis Magistratus, crudelissimi Christianę religio-
nis hostes, qui multos vel potius innu-
merabiles Christianos omni supplicio-
rū genere excarnificatos trucidarunt.
Mos tamen illis perpetuò gestus fuit,
nec ulli unquā Christiani obsequium
illis recusarūt, etiā si potuerint: sed po-
tius eos coluerūt, de illis honorifice lo-
quuti sunt, tributa contulerunt, sub il-
lis stipendia in bello meruerunt, in ju-
dicio se stiterunt, pro illorum salute &
prosperitate preces fuderunt, aliāq; o-
Euseb. lib. mnia (ut in Ecclesiæ historiis, corundē-
4.c.15 & 7. que Apologiis & testificationibus per-
c. 11. spici potest) obediētiç munera iis pra-
Justin. A- stiterunt.
polog. 2.

Tertull. in Quod verò de obediētia & submis-
Apologet. sione paganis debita dictū est, ad prin-
cipes etiam hæreticos referri debet, si
Deus

Deus tales dederit. Non minùs enim paganus à salute alienus est, quām hæretic⁹, cūm sit Idololatرا, atq; in omnibus fidei partibus & capitibus corruptus: hæreticus verò in paucis aliquādo. Ut ut se res habeat, divini mandati ratio utrobiq; eadem est: Uterq; enim à Deo est constitutus, quum ordine & vocatione in imperiis usitata & solenni, in rerum administrationem venit. Atque exempla ab omni antiquitate, eam semper fuisse hac de re Ecclesiæ mentem, satis ostendunt. Sub lege sæpenumero principes quidam à fide veraq; doctrina deflexerunt, in ejusque locum, idololatriam falsumque & impium cultum substituerunt: neque solum, sed crudelissimi etiam Ecclesiæ vexatores fuerunt, ut Saulus, Achabus, Manasses & alii, quibus tam propria & stabilis fuit regia sua auctoritas. In Ecclesia similiter Christiana fuere imperatores hæretici, Ariani, qui hæreticis pro virili faverent, crudelissimè verò Domini Ecclesias, & pios atque orthodoxos Episcopos

vexarent: nemo tamē Christianorum
se contra eos commovit. Quinetiam
eorum quidam Paganus fuit simul &
hæreticus, & siquid deterius dici aut
etiam fingi potest, cognominatus A-
postata: quo Ecclesia nullum infestio-
rem hostem unquam habuit. Julia-
nus ille fuit. Imperator tamen habi-
tus est, illiusque mandatis obtempera-
tum. Harum rerum exempla, eaque
permulta, sibi omnia cōstant, nec quis-
quam in doctrina fidei probè insti-
tutus contrà unquam sensit, facien-
dumve censuit. Prophetarum quidem
temporibus Iudæi seditiones conci-
tarunt, & ab Affyriis Chaldæisque de-
fecerunt: sed ob id & à prophetis re-
prehēsi, & à Deo ipso gravissimè mul-
tati sunt. Per Apostolorum tempora
perversi quidam turbulentiq; homi-
nes extitere, qui malè de Magistrati-
bus loquerentur. At D. Petrus & D.
Juda in eos scripserunt: ex eorumque
verbis satis colligi potest, seditiosos il-
los fuisse nequissimos quosdam nebu-
lones, qui libertate Christiana abute-
rentur,

rentur. Post Christi mortem Judæi idem quoque adversus Romanos tentarunt, dictitates se esse Dei populum, ideoq; infidelibus Imperatoribus obnoxios esse nō debere: Sed iustas gravesque Deo suę rebellionis pœnas derunt. Anabaptistæ idem omnino aetate nostra fecere, sed satis supérque perspicuum est, eos fanaticos homines & à mente alienatos fuisse. Denique quotquot senserūt, principes pietatis religionisque veræ expertes non esse colendos, illi omnes furiosi fuere, mentis impotes, iustoque Dei iudicio furoris sui pœnas luerunt. Papa tamen illud dogma suis illis bullis sacrificie admonitionibus, nostris animis inserere omnino tentat, Regem infidelem esse, & regno suo per nos demovendū. Nempe hoc illud est Evangelium, quod ubiq; terrarū per ministros suos Jesuitas, turbarum civilium faces, prædicandum curat: Illa etiam sunt Theologorū Parisiensiū, qui cum nostris conjuratis faciunt, decreta.

Rationes & fundamenta, quibus ad

has faciendas turbas utuntur , ea ipsa
sunt, quę seditionis quidam Iudei, An-
baptistæ aliquę principatum & Im-
periorum hostes, imperiti vulgi auri-
bus inculcabant. Proponunt rem esse
indignā, Ecclesiam , quam Deus tan-
ti facit , & populum , quem Christus
suo ipsius sanguine redemptum in li-
bertatem vindicavit, sceleratis princi-
pibus ita subiici atque auctoritatem &
potētiam in eorum manibus esse , qui
ad divexandam Ecclesiam ea impīe &
crudeliter abutantur. At responde-
mus, satis quidem hinc caussę esse, cur
tanto pressi onere, vehementer inge-
miscamus. Verūm respiciendus nobis
Deus est, qui de eo ita statuit, quique
satis magnas id faciendi caussas sem-
per habet, sive pœnas sceleribus no-
stris debitas à nobis repetere , sive si-
dem patientiamq; nostram, salutis no-
stræ, gloriæque suæ gratia probare ve-
lit. Id quod nec gratiæ , ad quam nos
vocat, nec Ecclesiæ dignitati , nec ei,
quam Christus nobis comparavit , li-
bertati quidquam obstat : quoniam

ea omnia spiritualia sunt. Addunt quinam inde sequunturi sint casus & pericula, ac proponunt Ecclesiam gravissimis ob id incommodis & calamitatibus multatum iri, præcipue si Principes heretici fuerint. At respondetur à Deo hæc non fieri, quin casibus & incommodis illis, quæ metuuntur, providere, eaque ab Ecclesia sua propellere facile possit. Summū quidem in eo periculum est, ne hæresis sub heretico, ut Paganismus sub Pagano, ad plures serpat, & in dies latius manet. At D. Paulus nos docet hæc non ita c. 1. Cori. ii. venire sine Dei consilio, oportere que internos hæreses etiam esse (hæc sunt illius verba) ut, qui probati sunt, manifesti fiant. Deus varia in Ecclesiam probationum genera immittit, non ad perdendos suos electos, sed ad eorum potius salutem promovēdam, suamque ipsius gloriam propagādam. Inter eas autē probationes, hæc præcipua est, ut Evāgelii veritas aliquādo ab hæresi & mēdacio invadatur: sed ex eventu qui consequitur, Deus eos qui ve-

rè sui sint, dijudicat & patefacit, ipsiusque veritas quotidie magis elucet, entescitq; magis, ut experientia probat. Papa Sfondratus Theologiæ valde peritus vult videri, ejusque rei probandæ

*Cor. 6. gratia quendam secundæ ad Corinthios epistolæ locū profert, nullū consortium justitiæ cum injustitia, nullam cōmunionem luci cum tenebris, nullā concordiam Christo cum Belial, nullamq; partem fideli cum infideli esse: unde concludit ejiciendos esse principes, déque rerum administratione deturbandos, qui non eandem cum Papis religionem profitantur. Si Papa maiorem sacræ scripturæ cognitionē, intelligentiamq; in cæteris locis non est assequutus, meram sanè ignorantiam, vel insignē potius malitiā apertissimè indicat. Nam ut Apostoli mens & scopus attentè consideretur, locus ille nihil prorsus ipsius sententiā juvat. Apostolus enim sæpius alibi verba fecerat de obedientia & obsequio, quod principi debetur, docueratque impietatem quæ in iis appareret (qualis in ejus saeculi

sæculi principibus re vera inerat) nulli
impedimento esse debere, quo mi-
nus illis pareatur. In hoc tamen loco
vetat, ne impari jugo cum infidelibus
copulemur. Nec verò à se ipso dissen-
tit Apostolus. Nam quum præcipit ut
principum nostrorum partes sequa-
mur, iisque cedamus, id ad res huma-
nas, quæ in illius imperio sunt, referen-
dum est: Hic verò quum prohibet, ne
quid commerciis cum impiis habeam-
us, id de rebus divinis, & quæ ad fi-
dei Christianæ professionem spectant,
est intelligendum. Corinthii, qui non
satis animo percipiebant, quantū ma-
li adferret sacrificiorum, quæ idolis à
paganis fierent, & aliarum rerum quæ
ea comitarentur, participem & con-
scium esse: ad idololatras, in eorum
viuendi ratione, inconsideratiū sese
adjungebant, ut D. Paulus pluribus
prima sua ad eosdem scripta Episto-
la, ea de re differit. Illud verò erat
iustitiam cum iustitia, lucem cum te-
nebris, Christum cum Belial misce-
re velle: quod fieri minimè debuit.

Deus enim maiori puritate & sinceritate colendus est, atque ab iis omnibus quæ Evangelicæ fidei, & illi, quem verbo suo præscribit, cultui adversantur, nobis discedendum. Hæc est Apostoli in eo loco sententia: ut clarius de ea nobis cōstabit, si quæ in utraq; Epistola scribit, diligenter cōferamus. At in iis quæ ad res humanas seu tēporales attinēt, non idem est nec sentendum nec agendum. Nam si in illis nulla omnino esset nobis cum impiis & sceleratis, quibus mundus est refertus, habenda ratio & cōsuetudo, è mundo ipso nobis esset exeūdum, ut idem Apostolus ad Corinthios scribēs docet: Scripsi, inquit, vobis in Epistola, ne cōmisceamini cum scortatoribus. At nō omnino cum scortatoribus Mūdi hujus, aut cum avaris aut cum rapacibus, aut idololatris: alioq;n debetis scilicet è Mundo exire. Hic idololatræ & infideles ipsi apertè nominantur. Innuit autem Apostolus ex hoc cū rebus ad hanc vitam pertinentibus cōmercio, (veluti quum principes pagani & infideles

deles nobis regendis præficiuntur) cō-
scientiam nostram pollui non posse,
dummodo in nullam cum falsis illo-
rum religionibus societatē veniamus.
Christi & Apostolorum ea fuit mens.
Christus enim ipse Cæsari obediebat,
tributumq; pendebar: sed in iis quę ad
Dei cultū resq; divinas attinebāt, eum
non audiebat. Unde hanc præscribit
regulam, Reddenda esse Cæsari, quæ
sunt Cæsaris, & Deo, quæ Dei: docēs,
hæc duo minimè secū pugnare, nem-
pe Christianum esse Deumque cole-
re: atque , si Dei voluntate Princi-
pem vel Paganum naōti fuerimus, il-
lius potestati & obsequio nos totos
submittere, vt hac ratione Dei etiam
mandatis pareamus. Apostoli in iis,
quæ ad res spirituales , Evangeliiquo
professionem spectant, asserunt, Deo
quidem potius quam hominibus ob-
temperandum esse : sed in aliis , quæ
ad vitam humanam referuntur , iis
non inviti obsequebantur. Atque ab
omnibus veteris Ecclesiæ Christia-
nis id semper ita intellectum observa-

tumq; fuit. Papa igitur ineptissimus est
 Theologus, aperteq; ostendit se, dum
 suis monitoriis bullis ad eum, quem à
 Deo constitutum habemus, Regem
 repudiādum incitat, omni fundamen-
 to destitutum esse, cùm unicum dun-
 taxat sacræ scripturæ locum ad suam
 confirmādam sententiam citet, & fal-
 sò etiam citet. Debuit paulò attentius
 secum reputare calamitates & discri-
 mina, in quæ, dum hanc nobis doctri-
 nam subiicit, imperia mundi coniicit.
 Experientia satis quotidiana compro-
 batum est, quām facile populi ad re-
 bellionum concitentur, & quicquid
 de Principibus in vulgus spargitur,
 nullo judicio morāq; adhibita, liben-
 tissimè credant. Ubi semel quis dixe-
 rit principem suum sceleratum esse,
 Paganum, hæreticum, qui tamen for-
 tasse & Catholicus erit & probus, sa-
 tis magna & luculenta ea esse occasio
 putatur. An non enim de Davide in
 2 Reg. 16. Absalonis conjuratione dictum fuit
 eum improbū esse, execrandū Deo,
 & detestabilem, & qui dominatum in
 Del

Dei populum obtineret, planè indis-
gnum? Mahometem & Mahometis
sectæ vindices cōstat, illud sacrū quod-
dā fidei axioma habuisse, ut eos prin-
cipes, qui non essent ejusdē secum re-
ligionis, de sua ditione dejiciēdos esse
crederent, nullo ferè alio ad bellū ge-
rendum fundamento & argumento
freti. Nisi Papis cordi voluptatique es-
set, rerum omnium perturbationem
& confusionem in rebus humanis vi-
dere, non ita hæc populo prædicatum
irent. Verūm, ut summatim dicā, nulla
hic objectio quantumvis specie pro-
babilis, satis magna est ad affirmandū
& persuadendum, principibus infide-
libus obtemperandum non esse. Neq;
uspiam probari etiam potest, Christia-
nos ullam eorum, quę de recusando il-
lis obsequio dici contrà poterant, ra-
tionem unquam habuisse: id quod de
veteribus Gallis majoribus nostris, qui
& Pharamūdum, & alios reges primos
paganos habuerūt, dici eodem modo
potest. Christianis, qui Principes infi-
deles adepti erant, hoc unum proposi-

tum erat, ut se in Dei veritatis confessione confirmarent, atq; ad cruciatum constanter perferendos, ad magistratum suorum severitatē summa animi æquitate superandam, ad preces pro iis fundendas, & ad eorum animos omni obsequii & obedientiæ genere sibi conciliandos, inter se hortarētur. Illis verò nunquam hoc in mentem venit, ut vel minimam rebellionis suspicionem darent, vel iis, qui adversus suos principes, quippe paganos vel hereticos rebellionē molirentur, exemplo essent: nec id ab iis factum aut verè obiicia aut certò probari potest.

Cæterum reges ac principes excōmunicatos nihilo est æquiū de sua sede & statu demovere. Si enim sunt principes legitimè à Deo vocati, illud pro firmissimo, nec ylla ratione labe-factando fundamento nobis esse debet, eos imperandi ius & auctoritatem habere: cum potestates sint à Deo cōstitutæ, quibus, ut dictum est, resisti nō debet, quæcunq; tandem caussa adferri in excusationem possit. Evidem, ea quæ

quæ nobis cum Christo eiusq; Ecclesia est communio, liberorum jus nobis dat, verosq; & legitimos in honorū vitę præsentis (quatenus ad Deum pertinet) possessione, & usu etiā ipso hæredes facit. Verùm nulli est hoc impedimento, quin aliud præterea generalius hominum & Imperiorum constitutionis respectu jus sit, quod eorū etiam, qui hujus communionis non sunt, interest: in eo quod Deus ipse hujus Mundi bona partitur, tantū omnibus seu liberis seu alienis tribuēs, quantum pro suo arbitratu statuit, & cuique proprium esse decernit. Principatus & ditiones codem modo sō habent. Nec eo nomine, quòd in ea communione simus, Deus iis nos ornat. Nam Deus ea sæpe illis donat qui in ea communione nec sunt, nec erūt unquam. Quòd si jus illud in hoc genere, ab Ecclesiæ cōmunione ut à sua caufsa non proficiscitur, sequitur profectò hoc jus illi minimè peritum, qui ab hac cōmunione fuerit segregatus.

Excommunicatio Ecclesiastice disciplina

plinæ pars quædā est. Ecclesiastica au-
tem disciplina regiminis spiritualis est,
quod res humanas & ad hanc vitā per-
tinentes nullo modo attingit: ut hujus
etiam disciplinæ animadversiones & cen-
sures à civilium judiciorum pœnis mul-
tūm differunt. Nusquam scriptū pro-
batumq; extat privatū quenquā, quòd
ab Ecclesiæ communione abdicatus
esset, bonis suis exutū fuisse, si res pro-
bè in ea cōstitutæ fuerint. Sōtis animā
& conscientiā ea pœna tantūm afficit,
quādo tum civitatis, tū privilegiorum
& prærogativarum, quæ Dei filiorum
propriæ sunt, tum tesserarum fœderis,
optimarūmq; salutis promissionū jure
ab alienatum, quando etiam per ex-
communicationem ex Christi domi-
cilio & corpore abstractū se videt. Idq;
ut hujus miseriæ (in quam se sua culpa
incidisse reputat) cogitatio & horro-
rum urgeat, & ad resipiscendū impel-
lat. Ex his igitur videre est, eā pœnā bo-
norū hujus vitæ privationē nullo mo-
do contineri. Quòd si privati homines
nec bonorum suorum possessionē &
usum,

usum, nec alia sua jura excommunicationis vi amittunt: quæ tandem caussa est & ratio, quamobrem major in principes severitas adhiberi debeat? Adhæc excommunicatio ad tempus duntaxat vim suam retinet. Quamprimum enim reus peccatum suum confitetur, ejusq; se pœnitere profitetur, Ecclesia ex Dei mandato cū noxaliberat, communionémq; illi restituit. Si bona per eam separationē auferrentur, per communionis restitutionem, bona illa in quorum possessionē alter fortasse jam venisset, restitui quoque necesse esset. Neq; enim Ecclesia omnia excommunicatorū bona tandiu sibi vendicaret, quoad resipuissét: quod fortasse in nō nullis nunquam fieret. Regi excommunicato jus regni abrogaretur: Itaq; è vestigio illud ad aliū quempia transferrī necesse esset. Monarchia enim in hoc præcipuè regno interregnum pati non potest. Rex igitur resipiscens, in integrum esset restituēdus: quod quidem non ita facile fieret, si potestas summa penes alterum jam esset. Ad-

damus familiarum & liberorum, quos
etiam excommunicationis poena tan-
geret, detrimentum, quanquam ta-
men culpæ patris nec socii nec consciï
essent: quod legitimo excommunica-
tionis usui planè repugnat. Magnæ in-
terim in imperiis confusiones exis-
tent, si privatis duntaxat id accideret:
at si in principatuū & Imperiorum ju-
re hoc quoque locum haberet, ea cer-
tè in extremo discrimine versarentur.
Nunquam hoc fuit Dei consiliū, cen-
suras animadversionesq; Ecclesiasticas
cum judiciis humanis ita commiscere,
& fenestram ad cōfusiones perturba-
tionesq; rerum patefacere. Theodo-
sio Imperatori per D. Ambrosium sa-
crorum usu interdictum fuit: ac tan-
tam in illum severitatem vir ille pius
adhibuit, ut aulicos illius clientes plu-
rimūm offenderet. Illū tamen pro suo
principe semper habuit: nec in ullius
mentem hoc unquam venit credere,
ut per excommunicationem imperii
jus abrogatum illi fuisset. Veteri Eccle-
siæ nec cognitum nec usurpatum un-
quam

quam fuit, vi excommunicationis imperii administrationē cuiquam eripi. Postremi Episcopi Romani hoc primi cogitarūt & ausi sunt, ut inde se principibus formidabiles redderent, eosq; sibi hoc terrore subjicerēt, suæ summæ auctoritatis ubiq; stabiliendæ gratia. At Deus id nec voluit, nec verbo suo unq; statuit. Itaq; patres nostri Dei voluntatis non ignari, toto studio & conatu isti Paparū tyrannidi reluctati sunt, eamq; opinionem in Bonifacio 8 hæresin vocarunt. Cumq; ita ratio cōparata sit vitæ naturæq; nostræ, ut omnes ad peccandū propensi simus, & ita graviter aliquando peccandum, ut nisi Dei virtus præstò sit, cēforia excommunicationis nota reprimēdi simus: ecquis princeps, aut etiam vir privatus, qui modò aliquid possideret, in tanto amittendorum bonorū metu, disciplinę Ecclesiasticæ submittere se vellet? Quanta hæc remora, quātum etiam impedimentū esset, principibus maxime, ne se ad Ecclesiam Christianā adjungerent, si ab ea sc̄mel ob delictū aliquod abdicati,

à suo etiam imperio abdicarētur? Sta-
tuamus igitur hoc tandem & conclu-
damus, principes per excommunicationem
suo principatu & ea, quam ante-
tea in suos habebant, potestate & au-
toritate nec jure privatos fuisse, nec
esse privandos,

Idem quoq; de relapsis quos vocant
est statuēdum. Nam et si pœnæ gravior-
es in eos constituantur, ea tamen non
debent regiminis spiritualis fines ex-
cedere. Atque Ecclesia debet ad eos,
si ad se redeant, absolvendos prompta-
semper & parata esse; ac proinde ad i-
psorum vitam ac salutem pœnas refer-
re, ob idq; lenitate, quæ in correctio-
nibus omnibus necessaria est, severita-
tē temperare, ut qui in eandē culpam
relabuntur, ad vitæ emendationem fa-
ciliùs attrahantur; qui misericordia eò
digniores sunt, quò major infirmitas
in iterato eorum lapsu videtur. Dice-
re autem relapsos deploratæ esse salu-
tis, relabi hoc esset in Novati hæresim,
quæ tanto omnium consensu à tota
veteri Ecclesia damnata fuit. Privati
homini-

homines si fortè in idem hæres eos cri-
men reciderint, aut alio quodam mo-
do bis offenderint, nihilò magis sua bo-
na amittunt, quàm si semel tantùm of-
fendissent. Probandum esset aut locis
ex sacra scriptura depromptis, aut ido-
neis aliquot exemplis, aliam quandam
ob principes legem constitutam esse ;
quod nusquam, nisi in Paparum con-
sistoriis, reperietur, ubi hasce pertur-
bationes & confusiones ad principes
opprimendos nullo nec auctore nec
exemplo constat. Subditorum insu-
os principes officia ejusmodi omnino
sunt, cuiusmodi liberorum erga paren-
tes, servorum erga Dominos, & uxor-
um erga maritos officia esse solent.
Deus enim hæc omnia uno legis man-
dato summatim complexus est, quo
præcipit parentes honorandos esse.
Nunquam verò visumve auditumve
fuit, ut ob unicam religionis caussam
& eas quæ inde accidunt mutationes,
uno ad fidem vocato, altero in infide-
litate permanente, illo in Ecclesiæ cō-
munione hærente, hoc ab illa separa-

to, ulla fiat conditionis mutatio, ita ut
filius è patris potestate emancipetur,
servus ex Domini Imperio manumis-
tatur, uxormariti auctoritate solvatur.
Nam contrà liberis citra ullam omni-
Pet. 2. exceptionem præcipitur, ut paren-
tibus obedient. Apostoli etiam cen-
sent, ut fideles servi in fide & officio
erga Dominos suos maneant: fidè ve-
rò conjuges maritis suis subditæ per-
petuò sint. In principum autem im-
perio & potestate, qua cæteræ omnes
comprehenduntur, mutatio minus
etiam probanda est, quippe multò
magis periculosa & lubrica. Porro e-
go, priusquam huic sermoni finem fa-
ciam, præclarum hoc majorum no-
strorum facinus hîc addendum puta-
vi, ut quid illi de hac Paparum doctri-
na senserint, planè intelligamus. Pa-
pa Urbanus II Philippum I excom-
municare in animo habuit, & postea
Paschalis Ludovicum Crassum. Pa-
pæ his fundamentis nitebantur, quòd
illi reges flagitiosi essent, ideoque di-
gni,

gni, quibus regnandi jus ac potestas adimeretur. Tota Gallia, cui hoc erat invisum & inauditum, adversus sedem Romanam vehementer irritata fuit, illique omnes, qui Papæ caussam tuebantur, durius accepti sunt. Id perspici potest ex Iwonis Carnutensis Episcopi ad Papas literis, quibus eos monebat ut consilium suum mutarent, ne gravius aliquid in se statui sentirent.

Quum verò ejus temporis Scriptores *Abbas Si-*
de Gallie aduersus Papas accensæ causæ *gebertus.*
sis loquuntur, hæc commemorant: ea
Paparum verba, novitatem esse aut
hæresim, quæ antea nunquam in mun-
do extitisset, per quam scilicet popu-
lus doceretur, principibus sceleratis
nihil prorsus obedientiæ & obsequii
præstari debere: & quanquam fidelitatis
sacramento illis obstrictus esset,
omni tamen erga eos fidelitate solu-
tum ac liberum esse: nec perjuros eos
esse habendos, qui à suo rege ad alium
quemlibet desciscerent. Immò verò,

quicunque Regi pareret, pro excommunicato existimandum; contrà, qui facinus aliquod adversus regem patraret, omni injustitiæ & perfidiæ crimine absolvendum. Historia nominatim hæc refert, ut doceat, quanto pere doctrinam ejusmodi, quam Papæ in totum orbem spargerent, & disseminarent, exhorruerint, & quodnam esset istarum excommunicationum; per quas principes omni dignitate & auctoritate spoliarentur, & cives ad seditionem concitarentur, fundamentum. Verùm tam multis gravibusque Iyonis admonitionib⁹ Papæ nihilo sapientiores & meliores effecti sunt. Eadem enim omnino doctrinam Sfondratus Papa per suas Bullas nobis obtrudit, ad institutam hāc rebellionem confirmandam. Ea doctrina jam inde à Philippi primi ætate, nova, atq; adeò à nostris majoribus hæresis esse dicebatur. Res verò gravior est, quām ut temerè Bullis fides habeatur, in quibus nihil quidquā adfertur, quod aut vero ullo sacræ scripturæ testimonio nita-

nitatur, aut certo aliquo veteris totius
in suis omnibus ætatibus & partibus
Ecclesiæ usu confirmetur. Sfondratus
evidem nescio quas Paparum cōsti-
tutiones nobis inculcat: at nos solidas
& expressas Dei ipsius constitutiones
& placita postulamus. De Sanctæ et-
jam Sedis reverentia verba facit: At
est alia sedes, cui summam observan-
tiā debemus, longè sanctior, apud
quam omnes sistendi sumus, necmē
Christi tribunal: ex quo consilia & de-
creta nobis sumēda sunt, ut ne à recta
vivendi ratione aberremus. Idem agit
de præstanta Ecclesiæ obedientia: re-
ctè: id etiam ipsi desideramus. Sed ve-
ra Ecclesia docet, vni Deo, cui ipsa in
rebus omnibus cedit, seq; totam sub-
mittit, parendū esse. Edicit suis omni-
no mandatis parendum esse, cæteris
omnibus, quibus studium, amorem,
honorēmq; & observantiā debeamus,
postpositis. Et quis tandem Sfondra-
tus iste est, cuius imperiis cæterorum
omnium Imperia postponi, cuius Bul-
lis Dei etiam ipsius, qui aliter omnino

præcipit, mandata subiici debeant? Atque hæc, quod pluribus alibi explica-
ta & illustrata fuerint, paucis tantum
hic attingere volui: quæ tamen, licet
paucula, ad eas dubitationes quas Pa-
pæ Paparumq; clientes Jesuitæ, harum
quibus jactamur tempestatum conci-
tandarum ergo simplicium animis in-
jecerunt, penitus tollendas, satis ma-
gna, mihi quidem videntur: quan-
quam Rex noster divina gratia talis,
qualis ab iis fingitur, non sit nec Pa-
ganus, nec Hæreticus, nec excom-
municatus, nec Relapsus, si diligen-
ter omnia, ut in re tanta decet, pon-
derentur.

Rex equidem Paparum doctrinæ
fidem non habet, seque prorsus ab eo-
rum consortio & communione segre-
gavit: Sed patres nostri docuerunt eos
omnes qui Papis nō credunt, seq; dum
inordinatè se gerūt, ab iis separāt, non
esse propterea hæreticos. Papam au-
tē indecorè se gerere nemo nescit. A
tam multis jam sæculis pii clariq; viri
id conqueruntur ac deplorant; tota
Chri-

Christianorum gens eum accusat, & aliquando, si Deus dederit, re tota sapienter & accuratè disceptata, illum ipsum damnabit: quantumvis id refugiat, & suis omnibus quas ubique terrarum commovet, procellis, furiosissime consiliis impedire conetur. Sunt quædam religionis capita, in quibus Rex ab Ecclesia Romana dissentit: non propterea tamen cōperietur hæreticus, si dispiciatur, in quibus & quomodo in iis se gerat, & quid profiteatur ac testificetur. Hæreses, (ut ex hæresibus quæ veterem Ecclesiam exercuerunt, videri potest) versantur aut in Trinitatis materia, aut in Christi mediatoris nostri persona, aut in illius officiis, salutisque rationibus, aut in Ecclesiæ definitione & natura, aut denique in iis, quæ ad scripturæ sanctæ veritatem & auctoritatem labefactandam spectant. Regis fides super his capitibus omnibus examinetur, nihil caussæ reperietur, quamobrem hæreticus sit habendus. Nec Paganus est, nec Judæus, nec Mahometista:

qui in falsas illas impiasque Religiones omnes ex animo detestatur: illum dū taxat pro vero & unico Deo habet quē Patriarchæ, Sancti Prophetæ, totaque Israelitica Ecclesia ob omni ævo cognovit, venerata est & coluit: Illum, qui Mosi legem dedit, & per Prophetas cum patribus loquutus est: qui in postremis temporibus fesc in Christo Domino nostro manifestius nobis patefecit. De sancta Trinitate credit, quid ab universis conciliis de ea definitum decisumq; atque summatim Athanasii symbolo comprehēsum fuit: Ut id etiam, quod de Christo Mediatore est traditum, quem esse credit & agnoscit verum & in æternum prædicandum Deum, simul & verum hominem è Virgine Maria natum. Persuasumq; habet, eum, quēadmodum à Deo constitutum ab omni ævo fuerat, ita etiam redemptionem nostram omni ex parte explevisse, solūmq; nobis & salutis & æternæ vitæ caussam auctoremq; esse: ac nos ipsius, ut in Evangelio docetur, per fidem participes fieri.

fieri. Ecclesiam Catholicam, & extra eam nullam esse salutem, credit, precibus votisq; omnibus in ea ad extremum usq; vitæ spiritum manere exoptans. Sancta etiam sacramenta, prout à Christo fuere instituta, credit. Postremò sanctam scripturam, certam Dei veritatem esse, eāq; omnem doctrinam nobis necessariam contineri credit: atq; quod tum ad salutem cōsequendam credendum, tum ad observantiam quæ Deo placeat exhibēdam præstandum sit, non aliunde petendum esse. Atq; eorum, quæ & Rex, & ejusdem cum eo religionis homines tenent, ut ex eorum scriptis abunde constat, hæc summa est. Rex itaq; his fretus & confisus, impias omnes Arrianorum & Manichæorum, itemque aliorum omnium hæreses, quæ cùm à sacris Ecclesiæ doctoribus refutatæ, tum sanctorum Conciliorum decretis una voce & consensu damnatae fuerunt, ex animo etiam damnat. Controversiæ, quas cum Romana Ecclesia habet, eiusmodi sunt, ut siquid

errat, in hoc maximè erret, quòd cōcēdere patiq; nō possit, ut, vel hominibus vel rebus ullis creatis, præterquā Deo, cultus religiosus tribuatur: ut Christus non solus ad Deum nobis sit via & aditus, sed quispiam alius illi adjūgatur, & in nostræ salutis caussis quidquā aliud habendū sit, quām unicū Christi mortis & passionis, atq; ejus quam Deo patri præstitit, obedientiæ meritū: utq; alius quisquā gratus Deō cultus censematur, quām qui ab eo in sacris scripturis fuit præscriptus & cōstitutus. In his omnibus si quis sit error, in eo duntaxat est, quòd omnia Deo uni, nihil autem hominibus tribuar. Ejusmodi autē error, si tamen error habendus est, non potest esse hæresis. Atq; hæc de controversiarum materia dicta sint.

Quomodo autē in his rebus se gerat, omnibus compertū est. Neq; enim aut pertinax est, aut aliqua vel arrogātia, vel malitia, vel pravo perturban- dæ Ecclesiæ affectu ducitur: Papa insuis Bullis ait eum per matrem jam inde ab infantia hæresi imbutum fuisse: at, vel

at, vel hinc eum talem non esse mala
mente, & insolenti ac voluntaria ever-
tendæ Ecclesiæ alacritate, manifestò
colligitur. Ac Divus ipse Augustinus
eos, qui sic à parentibus educati & in-
stituti fuerint, magis excusandos esse
tradit. Papa eorum meminit, quæ ne-
fastis illis D. Bartholomæi diebus illi
acciderunt, illiusque abjurationem o-
mni colorum & exornationum gene-
re exaggerat, multa simulans, & veris
falsa consultò admiscens. At dies illi ita
nobiles sunt & insignes, ut unica vio-
lentiæ recordatio pro justa defensione
illi esse possit. Nihil ea de re amplius
dicā. Dira illa fuit & inaudita Tragœ-
dia, quam Deus pro sua bonitate huic
regno diutius nō imputabit. Evidem
rex multa tunc admisit: religione sua
ejurata, Romanā se amplecti professus
est, Missæ interfuit, Romā misit, vera
hęc omnia sunt. Sed vi adacto hęc facie-
bat omnia, cùm pbi ac fideles servi in
eius sinu atq; amplexu trucidati fuis-
sent, ipse quoq; in summo capitis discrī-
mine quotidie versaretur, & in arctis-

simam jam captivitatem detrusum &
& compactum videret. Illius adolescentia, perpetuæ adversus ea quæ per
vim ageret testificationes, mandata,
quæ ad populum suum Bearnensem
clandestina denunciatione pferenda
curabat, viæ & rationes ex istis se la-
queis extricandi toties captatæ ac ten-
tatæ, & quæ primum evadendi oblatæ
fuit, arrepta confessim occasio, vim illi
factam fuisse, & quæcunq; tunc tem-
poris faceret, ea vi coactum & præter
voluntatem fecisse satis cōprobarunt.
Metus ille fuit in prima & teneriori æ-
tate incussus, & eo imminente pericu-
lo, quo nullum aliud majus excogita-
ri possit. D. Petri abjuratio non est illi
jam ulli probro & dedecori. Nam for-
mido, qua fuit correptus, eam extor-
fit, & illum ad peccatum etiam longè
gravius, audita unius ancillulæ voce,
adegit. Verùm id factum illico acerbè
deploravit & lamentatus est. Ergo pec-
catum per metum admissum, culpæ
excusationem in alio meretur, nō pro-
brum & damnationem, ut Papa de
prin-

principe nostro pronuntiat. Infirmitas
hęc est, animiq; imbecillitas, quā Deus
pro sua immensa misericordia tolerat.
Quin apud homines, siquid gravioris
pœnæ aut infamię metu factum fuerit,
id ex legibus nominatim ad eam rem
latis, pro infecto habetur, nulliq; pœnę
obnoxium esse censetur.

Papa regē præceptis ad religionem
necessariis abundē instructū fuisse pro-
ponit. At ut probè aliquę instruas, gla-
dius illi non intentatur: sed ter quater-
que cum lenitate summa de officio ad
monetur, ut Apostoli nos docent, nul-
la vi illius conscientiæ facta. Rex igi-
tur de Papa, à quo hæreticus, & rela-
pſus declaratus fuit, identidē quæreret,
quid officii tum ipſe, tum ipsius deces-
ſores h̄ic præstiterint: quando testi-
moniis è sacra scriptura petitis hære-
ſeos cōvictus damnatusq; fuerit: quan-
do tutus suis ministris accessus patue-
rit, ad familiariter coram se cum Sor-
bonicis doctoribus disputandum, un-
de sibi de suo errore apertè constaret.
Quod enim Papa objicit, regis mini-

stros illic adfuisse, ita quidē se res ha-
bet. Misellus quidam & verè miserā-
dus minister, nomine Hugo Suræus,
aliâs Roserius Parisinam carnificinam
fugiens, ab hostibus captus, Lutetiam-
que retractus præ metu religionē ab-
juravit, & sese ad eorum nutum arbi-
triumque & dicturum & facturum o-
mnia promisit. Is ad Regem perdu-
ctus, Doctoribus Sorbonicis assensus
est. At postea culpam suam, libris in
eam rem aeditis palam agnovit, atque
à Rege, ad quem pervertendum & in
errorem inducendum adhibitus fuil-
set, veniam petiit. Fuit hæc igitur par-
tis vtriusq; collusio, non verum ac pi-
um colloquium ad docendū accom-
modatum. Rex igitur nihilo sapien-
tior ab illis factus, in iis quæ à pueritia
didicerat & crediderat, cōstanter per-
mansit, quippe præclarè se ac piē pa-
rentum cura institutum fuisse, ac pu-
rioris religionis fundamenta optimè
jecisse persuasus. Neq; ulla mala men-
te pravāque conscientia in eo perse-
verat, quasi aut novitatis studio, aut
quæ-

quadam contradicendi libidine du-
ctus. Molestiæ & ærumnæ, quas tan-
diu pertulit: negotia & impedimen-
ta, quæ illi adhuc à cōjuratis tanta per-
tinacia inferūtur: hostium prava con-
silia & assiduæ interpellationes, ami-
corumq; importunitates, id satis con-
firmant: à quibus omnibus posset se-
mel omnino se vendicare, religioni
suae renuntiando, nisi Dei offendendi,
amittendæque salutis metus cum per-
petuò moneret, ne invita & repu-
gnante conscientia quidquam faciat:
sed potius meliorem, si qua usquam
extat, & quam à nemine hactenus ac-
cepit, institutionem exspectet. Præ-
terea in hisce de religione controver-
siis non solus requirit ut errorum, qui
eam occuparunt, ac deformarunt, re-
formationi provideatur: Bona pars
Christiani orbis idem ipsum cum illo
postulat, & adversus Papam, qui rei
tam necessariæ obstat, uno ote pro-
clamat. Nemo ferè jam existit, qui
non multa in Ecclesia peccari fatea-
tur, idq; vehementer conqueratur &

deploret: qui non horribilem & prodigiosam in Clero confusionem corruptionēq; videat, & qui institutionem ac disciplinā illā quæ ad sacerdotum quæstum & avaritiam omnino accommodata fuit, frequentiorem & fideliterem, perquām necessariam esse non censeat. A multis jam sæculis, permulti præstantissimi doctrina & pietate viri in hoc etiam regno, ut D. Bernardus & alii complures, libros in lucem editos querelis & expostulationibus obistas labes & confusiones refertos nobis reliquerant, Hęc omnia regis causæ inserviunt, qui nihil aliud vehementius desiderat, quām illud venire adesseque tempus, quum tot tantaque vulnera per legitimū piumque concilium sanentur, ac sancta totius Ecclesiæ recōciliatio summāq; omnium concordia fiat: testificans ex animo ac profitens primū se iis, quæ illic summo omnium cōsensu & sacrarum scripturarum auctoritate decreta constitutaq; fuerint, libenter obtemperatū. Nullāq; re omnino in his tam diuturnis

turnis & infestis, quibus vexatur, bellis
& què offendit & angi, atq; lögâ illâ, quæ
tum percipiendæ ex sacro illo conci-
lio utilitati, tum perficiendæ illi, qua-
se regni sui statim initio ea de re ob-
strinxit, promissioni affertur, tardi-
tate & morâ. Quum hæc omnia in re-
ge considerabuntur, atque ex adver-
so dispicietur, quis sit habendus hæ-
reticus, uti quidem in sacris scriptu-
ris describitur, & à piis Ecclesiæ do-
ctoribus definitur: Ex iis profectò nec
constabit nec probabitur, regem hæ-
reticum esse. Siquis error inesset, hu-
manus ille error esset, quo qui tenen-
tur, nec deplorati nec ab Ecclesia ab-
dicati censendi sunt: Ideoque apud
eos ex D. Pauli doctrina adhibendæ
sunt cum omni animi lenitate admo-
nitiones, non autem ea, quæ hodie in-
tentatur, violentia.

Nec verò rex noster ex iis, quæ Six-
tus Papa illius adversarius edidit, vlo-
modo habendus est excommunicat-
us, ut jam antea docui. Et quidem
Patres nostri ex historiis, quæ com-

memoratae sunt, satis ostenderunt quid de Paparum Excommunicationibus sentire debeamus. Responsones à doctissimis viris ad Sixti contra Regem excommunicationes, unà cum multarum Nullitatum declaratione hodie extant, eaq; ita eruditè compositæ & ad rem præsentem appositæ, ut ad Regem non apud Deum tantum, sed apud omnes homines, qui modo sincerè iudicare volent, absolvendum, omnique culpa liberandum momenti satis habere videantur. Magna Deo immortali habenda est gratia, quod in Papæ potestate non sit, eos qui in libro vitae inscripti sunt, ex eo expungere. Quod si Papa idoneus Regis nostri Judex esset, suamq; jurisdictionem ad eum usque ac minimum etiam hujus regni incolam proferre posset, quod profectò non potest: si judicium in Seniorum, ut Deus præstituit, cœtu factum fuisset: si justa eum damnandi causa extitisset: si actionum ex verbi divini regulis, & canonibus etiam antiquis via & ratio in judicando obser-

vata

Vata fuisset: si legitimè excommunicationis fines propositi, rectaque & ejus qui peccavit salutis, & utilitatis Ecclesiæ studia adhibita fuissent: si Ecclesia rectè congregata rem assensu suo comprobasset: Postremò, si Dei verbum in tota illa actione præcipuum locum obtinuissest, fuissetque pro regula: ex his quidem certè omnibus excommunicationem rectè factam fuisse constaret. Sed horum omnium nihil quidquam usurpatum observatumque fuit. Consilia adversus Galliam nostram quotidie inita: inveteratum adversus reges ac principes nostros odium: indignatio, in quam erumpunt, quod amplitudinem suam in hoc regno cum summa potestate nondum stabilitam esse videant: coitiones & pactiones, quas cum externis hostibus habent ad prodendum ipsis trandendumque hoc regnum: ut uno verbo dicam, furor & nocendi, perdendique omnia libido, solæ fuerunt veræque aliis Papis caussæ cur hæreseos sententiam & excommu-

nicationem in superiores reges, & in ipsum etiam Henricum Regem; defunctum, pronunciaverint, & eā quidem impudētia, ne impietate dicam, ut nihil suprà. Hodiēq; adeò illis ipsis caussis adducti, suas ad nos bullas emit tūt. Hoc verò planè nihil aliud est quā stomachosum ac perversum & regiam gentem opprimendi, & regnum simul totum evertendi propositum. Religio autem quam illi admiscent, prætextus tantummodo est, ac mera simulatio.

Sfondratus contumeliosè nobis de rege loquitur, quasi eum nos in hoc regno melius cognitum non habeamus, quā ille in suo Capitolio. Ait eū, quia datam fidem fregerit, perfidum esse, nec fidem illi unquam habēdam. Væ tibi impure Sfondrate, qui tibi jájam impendente, qua totus exenteris, ruina crepans, tam dirum tuæ acerbitatis virus in tantum principem eructes, & evomas: qui contra Dei mandatum populi Principi, atque ad eò Galliæ regi maledicere audeas. Dicis cum fidem violasse. Idem & graffator

tor aliquis diceret, si arrepto, exertoq;
pugione promissum aliquod à quovis
alio extorsisset, quod ille postea, quip-
pe aut contra Deum, aut contra Rem-
publicam, aut contra bonos mores fa-
ctum, perfidere nollet. Non repetam
quod jam dixi, de vi, quæ Regi incus-
safuit. Promissis ita extortis nemo ul-
lo aut pacto aut jure obligari potest: u-
bi autem nulla est obligatio, fidei quo-
que violatio nulla est. Si Rex putavit
se contra Deum facturum, id præstans
quod metu coactus promiserat, nun-
quid promisso suo stetisset, Deum cō-
victus conscientia offensurus? Cuinam
potius fide & promissi religione obli-
gatus tenebatur, quam Deo? Longiori
& accuratiori patrocinio non est hīc
opus. Regis fides & integritas satis spe-
ctata est & cognita: nec perfidus ullus
modo dici potest, ut eum Papa nomi-
nat. Ex multis magnisque illius virtu-
tibus, quarum omnes testes sumus (&
quas infestissimi etiam illius hostes fa-
teri & prædicare coguntur) hæc ma-
xime una elucet, quod in suis dictis

promissisque omnibus seryandis, in iis
sit numerandus, qui candore, firmita-
te, constantia, & integritate maximè
excelluerunt.

Sfondratus cōtumcliis & calumniis
quām Apostolicis virtutibus fœcun-
dior, addit regem Ecclesiæ hostem es-
se: Rex autem nullam unquā id suspi-
candi caussam dedit. Armis aliquando
se se propugnavit: sed legitima quidem
propugnatione id fecit adversus eos,
qui jam tum regiam stirpē adorieban-
tur, attractis ad suam caussam sub reli-
gionis nomine regibus etiam ipsis, qui
insidiosas eorum artes, occultāq; & im-
pia consilia nō satis tunc animadverte-
bāt, ut ea postea, sed serò & magno suo
damno animadverterunt, compertaq;
penitus & perspecta habuerunt. Ve-
rum Deus sua providentia hostium re-
gis animos aperuit, & quónam zelus il-
le speciosiq; religionis prætextus spe-
ctarent, omnibus patefecit & illustra-
vit. Quare hoc bonorum omnium vi-
rorum judicio certum & manifestum
semper erit, regem suosque injustè la-
cessi-

cessitos juste quidem se interdū pro-pugnasse, Ecclesiam verò oppugnasse nunquam: hōsque pro sui principis sa-lute, & pro sola Galliae, proindeq; Ec-clesiae cōservatione arma cepisse. Nec in tanta animorum contentionē, ira-tūmq; æstu testatum probatumq; us-quam reperietur, Regem ullius homi-nis conscientiæ vim attulisse. Ut hodie etiam, ex quo regni clavum tenere & gubernaculum Rei publicæ traētare cœpit, tanta humanitate & lenitate cum clero ubiq; locorum egit, ut satis hinc probet se de molestia ulli omnino homini ob religionē exhibenda nullo modo cogitare. Accusatur, quòd sa-cerdotiorum fructus iis qui pro ipsius dignitate & salute arma ceperunt, lar-giri soleat. At hæc temporum cul-pa est, non illius: qui non voluntate sua, sed belli necessitate coactus hoc agat: atque magis in eos, qui arma contra se gerunt, quam in reliquos, idque maxima prudentia & æquita-te. Prisci Reges, ut accepimus, cer-tum hoc & exploratū habuerūt, licere

sibi horum fructuum partem in susten-
tandis belli sumptibus impendere, si
ea esset regni, rationumque illius ne-
cessitas, ut fieri aliter non posset. Pu-
blicæ verò rei necessitas tanta est ho-
die, ut major certè antea nunquā fue-
rit, aut in posterum esse unquam po-
sit. Si eam ob rem Ecclesiæ hostis de-
clarandus videtur: idem quoque de
superioribus Regibus habendum ac
docendum erit. Si qua tamen culpa
hīc est, ea profectò ipsius hostibus, qui
illum eò necessitatis compulerint, as-
signanda est. Quid sit Ecclesia, novit,
& quantopere Deus eam principibus
commendaverit, nō ignorat. Ex mul-
tis illius optatis hoc non est postremū,
ut his bellis cōpositis summa tempo-
rum exoriatur tranquillitas, & animo-
rū consensio, per quam conciliū con-
gregare tutò liceat, ubi apertè vereq;
patefacere omnibus possit, quo amore
Christianam Ecclesiā prosequatur, &
quo studio atque animo illius dignita-
tem & commoda curare, atq; adeò pro
sua quidem facultate, augere velit.

Papa

Papa alio argumento in suis Bullis uitatur, quo probet regem nostrum non esse legitimū regni successorem: Itaque à regni administratione repellendum. Argumentum è cladibus & calamitatibus, quibus in hoc regno tandem afflictamur, sumptum est. Argumenti fundamentum hac præcipuè, quæ his verbis ab eo cōsignata est, propositio ne nititur. *Ubi Deus colitur, adversitas nō habebit effectum, & contrā: Ubi adversitas locum & effectum habet, ibi Deus non colitur.* Dei autem cultui nullum inter nos locum esse ita vult inde intelligi, quod regem legitimū & Deo carum, probatūmq; non habeamus. Usuvenit sanè Sfondrato nostro, ut hac in re in eandem temeritatē inciderit, in quam alii complures, qui de calamitatibus & vexationibus quas Deus immittit, longè aliter senserunt quam deceret. At primū quum ait, *Ubi res adversæ vident & urgent, ibi Deum non coli:* Ea propositio, quæ ex publicæ calamitatis caussarū ignoratione proficiscitur, falsa est: ut & altera huic cōtraria æquè

falsa est: ubiunque Deus colitur, res adversas nullum locum, nullam etiam vim habere. Id enim falsissimum esse per vetus ~~et~~atum omniū experientia convincit, & Dei quoq; ipsius ea de re decreta. Deus alibi non colitur, quam in Ecclesia: ipsa tamen Ecclesia duriores rerum adversarum effectus ac frequētores hīc sensit: Ei sorti conditio- nique quamvis acerbæ Deus eam ob- jecit ac subjicit. Quemadmodum et- iam optimi quique, & qui Deū purio- ri mente coluerūt, ut Prophetæ, Apo- stoli, & clarissimi alii Dei servi, gravio- ribus usq; casibus expositi fuerūt. Con- trā patet, adversitates minora effecta habuisse (ut ita cum Sfondrato loqua- mur) in improbis, in quib. minor Dei metus, illiusq; colendi studium minus appareret. I nunc, & ex Sfondrati pro- positione, quid hīc sentiendum statu- endumque sit, conclude: Inde profe- tō & Ecclesia & optimi omnes impie- tatis damnabuntur: improbi verò om- ni culpa soluti, absolvantur. Ita nimi- rum olim de Davide, de Jobo & piis aliis

aliis viris, atq; adeò de Christo ipso iudicari solebat. Interim tamen non inficiabor, peccata nostra & non valde religiosum, quem Deo in hoc regno tribuimus, cultum calamitatum, quibus adeò vexamur, caussam esse. Nobis enim omnibus in Dei conspectum est prodéendum, ut judiciū illius subeamus, damnationiq; nos ultro ipsos subjiciamus. Impietates & blasphemiae, iniqua hominū judicia, homicidia, & civium trucidationes, libidines, & in omnibus regni partibus cōfusiones hanc regni labē atq; eluyem, hanc etiā misericordiam & malorū Iliadem in nos justo Dei judicio invexerunt. Verūm cùm tam multis magnisq; flagitiis Deū offendierimus, cùm etiam & superstitione & impio cultu eū irritaverimus, nulla certè ratione pro calamitatū nostrarum caussa id habendum est, quod nō modò non peccatū est, sed etiā unum ex præcipuis illius, quā Deus de nobis exigit, obedientiæ caput, nempe regi à Deo nobis constituto parendum esse. Quanquam verò hoc etiam iis assen-

tiremur, Deū aliquando in populos animadvertere ob malos principes, qui in iis dominatum tenent; non inde tamen consequeretur, quod Sfondratus contendit, regem, qui jam nobis p̄ce-
st, illegitimum esse. Regū enim pec-
cata (ut injustitia, crudelitas, & gravissi-
ma alia facinora, quæ Deus aliquando
in populos derivare solet), efficere nō
possunt, ut reges sint illegitimi, ac di-
gni, cōtra quos populi conjurent, eōs
que de sede sua deturbent, ut antea
docuimus. Judicia hæc sunt ejusmo-
di, ut Deo ipsi disceptanda omnino ac
decidenda permittere debeamus. Re-
ges qui olim Dei populo regendo pre-
fecti erant, plerunque fuerunt Idolol-
atræ, vitaque vitiosa & flagitiosa præ-
diti. Ideoque Deus nō in illos tantum
sed in subiectos etiam eorum imperio
populos iræ suæ tela cōjecit. Nunquid
tamen in ullius unquā mentem venit
dicere, eos reges qui casus & clades
suis sceleribus in populū attraherent,
nullum jus potestatemque dominan-
di habere, populōq; imperatum hinc
fuisse,

fuisse, ut obsequium erga eos exueret? Interim hoc necessariò non consequitur, si populus plectatur, id ad regem tanquam auctorem referendum esse, cùm ejus rei caussæ in populo ipso verè inesse possint. Qualia rogo Ezechiq tempora fuerunt, quum tota regio ab Assyriis funditus direpta, vastataque fuit? Quale etiam Josiæ regnum, si calamitates illius expendantur? Veruntamen maxima piis illis regibus facta fuisset injuria, si quis ita, ut Sfondratus, argumentatus fuisset. Nempe, ubi res adversæ vigerent, ibi Dei cultum & frigere & penitus jacere: & quia populus Ezechiam Josiamque principes ac moderatores suos haberet, ideo Deum non coli. Sfondratus igitur calamitates nostras procul hinc videt, de iis fert sententiam, easque nobis exprobrat: sed inconsultò & temerè. Si ad Deū respiciamus, satis magnas nos affligendi caussas habet: sin, ad homines quod attinet, proximæ caussæ inquirantur, nulla sanè major est, & quæ tot malis nos oppresserit, quàm Papa-

tum superiorū & Sfondrati ipsius fū-
tores, qui nobis universam hanc con-
juratorum factionem conflagrunt, illis-
que Galliam nostram bellis exitialibus
vastandi facultates antea suppeditarūt
& etiamnum suppeditant. Papæ tan-
tummodo longissimè à nobis, rebus
que nostris absint, nos omittant, nos
vexare, res nostras quę ad se nihil atti-
nent, curare desinant: dicto citius mi-
seriæ nostræ desinent.

Ne multa, Papa quicquid volet de
rege nostro effutiat (pro eo more quo
Papæ principum nomen contumeliis
lacerare solent) Nos regem nostrum
satis notum exploratumq; habemus,
& locupletes eximiarū, quibus Deus
cum cumulatissimè ornavit, virtutum
testes sumus. Prisci reges illius dece-
sores à suis semper celebrati, & sum-
mis laudibus honorati fuerunt, quan-
tumvis Papæ illorū famam suis fulmi-
nibus obscurare & inquinare conati
sint. Hic verò, qui ab eadem stirpe no-
bis à Deo est datus, illorū dissimilis mi-
nimè nobis videbitur: etsi Papa aliam
de il-

de illo animis nostris opinionem injicere nitatur. Si quis contrà contendat atque afferat, hujus & superiorum regum facta inter se differre, quòd tunc temporis de religione non ageretur: Dicam in patrum nostrorum contra Papas cōtentionibus aliquam religionis mentionem factam semper fuisse. De aliquo privatim capite non dimicabatur: sed de eo quæstio erat, quod Papæ tanquam religionis totius fundamentum statuunt, nempe de summa illa, quam in universum orbem sibi arrogant, auctoritate, per quam colli ab omnibus, moremque sibi geri vellint. Nam si hoc non maneat, fixumque sit, Papa in suis canonibus sc̄pe declarat nullam usquam gentium religionem superesse. At patres nostri ei sententiæ toto conatu obnitezabant. Qua quidem re Papæ adducti, tanquam de religionis summa omnino ageretur, in sua quam adversus eos ferebant sententia, hæreticos, schismaticos, Ecclesiæque hostes nuncupabant. Ut verò apertiùs docerent,

ob istam obedientiæ & obsequii recusationem, omnem è Gallia religionem planè sublatam esse, suis interdictionibus vetabant, ne templorum januæ aperirentur, ne ullus Dei cultus observaretur, ne ulla sacramenta usurparentur. Contentio igitur in hoc capite versabatur, quod Papæ fidei articulum vocant, & religionis universæ fundamentū. Et quidem tota illa inter Papas & protestantes, dum ad concilium appellant, orta jamdudum controversia in hoc maximè uno cōsistit. Nam hac parte controversiæ dirempta, Papæ videlicet auctoritatem minimè esse tantam, quantam sibi sumit: Deo uni, ut Domino summo in sua Ecclesia auscultandum & obtemperandum: Papam, omniaq; illius mandata & decreta sanctarum scripturarum normæ submitenda esse, eadē operā reliquæ omnes controversiæ discussæ sublatæq; prorsus erunt. Verum, cur ex religionis controversiis hīc verba facimus, cùm, ut jam omnibus perspicuum est, de regno quod hostes invadūt atq; usurpāt,

agatur: religio autem merus tantummodo sit prætextus? Cōcludamus igitur, inter hasce nostras de quib⁹ hodie ita digladiamur, & inter eas, quæ patribus nostris cum Papis intercesserunt, cōtroversias, seu in Paparū, qui bello nos persequuntur, consilio & proposito, seu in eorum personis, seu in regis quem Deus ex sacro sancta regni lege nobis præficit, caussa, nullum omnino discrimen, nullam planè dissimilitudinem interesse. Ac proinde nullum opportunius & melius consilium in rebus prorsum similibus, à nobis capi posse, quam si ad patrum nostrorum exempla confugiamus, nosque totos ad eorum prudentiam, animique magnitudinem & constantiam conformemus.

CONCLVSION.

AMPLISSIMAM hic locus & valde luculentam admonitionis ad omnes hujus regni ordines mihi daret materiam, per quam, priusquam dicendi finem facerem, eos ad caussam hanc

pro communi dignitate & salute contra Papam & conjuratos suscipiendam exhortarer : nisi animi ampla quædam & splendida propositio passim in multis ita eluceret, ut acrioribus ad eos animandos incitandosq; stimulis nihil amplius opus esse videatur. Si ulla unquam caussa certas divinæ vocationis notas habuit, quibus freti ad eam recta cōscientia propugnandā aggredemur, hæc quidem certè est. Ubi primùm privatorum aliquot hominum quies in aliquo principatu ab externo quopiā hoste interrupta, aut populi aliquujus libertas tantulū attentata fuerit, aut Deus aliquam aliam ob caussam ad arma vocaverit, continuò ab universis accurritur, idq; persuasissimū & exploratissimū omnibus est bellū tunc legitimè geri. Quæ verò ad bellū justè & legitimè suscipiendū, atq; tum ad vitam, tū ad facultates omnes in illud profundendas nos moveare possunt, ea omnia ad hanc profectò caussam concurrunt. Hispanus aliiq; finitimi hostes nos aggrediuntur, invadūt, hostiliter petunt, oppres-

oppressuri nos , & si possint , eversuri
funditus , quanquā nullam in nos juris
speciē , nullam etiā id tentādi cauſsam
habeant. Infert vim Papa , quē nihil of-
fendimus , qui cōtrā maximā sui splen-
doris & amplitudinis partē , acceptam
nobis meritissimō referri debet : qui et-
iam pacis inter nos cōciliandæ auctor
esse deberet , si qualis haberi vult , talis
& revera effet : atq; interim ut hostiū ,
quibuscum facit , libidini serviat , sua
in nos fulmina armatasq; acies immit-
tit , quarum vi adacti servitutis jugum
subeamus . Cives adeò ipsi patriæ suæ
proditores nefariè rebellant , & ii etiam
ipsi , qui superiori rege à se impiè truci-
dato , alterius jam , atq; totius etiā gen-
tis regiæ vitam petunt , qui nostras fe-
rè omnes facultates diripuerunt , qui
domos & urbes nostras ad interitū &
cineres redegerūt , & à seipſis ita dege-
nerarūt , ut hostis in media regni ipfius
viscera perfidè admissi insignia , cōcul-
catis Gallicis , ostentent . Hic Dei man-
datum nominatim sanctū & prescri-
ptum est , quo præcipitur , ut regem ab

eo nobis constitutum honoremus, illiusq; vitam atq; auctoritatem adversus omnes conservemus. Hic bonorum omnium Patrū exemplum propositum est, qui in re simili ad communem & regni & regis sui caussam, egregiam fidem alacri promptoq; animo adhibuerunt, nulla hominis cūjusquam ac ne Papæ quidem ipsius ratione habita. Aguntur hīc nostræ opes, vita nostra, familiarum nostrarum honor, liberorum nostrorum conservatio, & qua nihil in rebus humanis omnibus prius & carius esse debet, nostralibertas. Venditioni & direptioni à Papa, & quod longè est gravius atq; indignius , à nostris ipsis expositi sumus. Status publici mutationem moluntur, ex qua quidem, ut facile colligere est , universa partium omnium mutatio & conversio necessariò sequatur , per quam omnia horribili confusione permisceantur, funditusque intereant. Quos dominos in regis nostril locum substituere conantur, non sunt aut Scythæ aut Turex, sed

sed qui omnē totius orbis Barbariam
immanitate & tyrannide longē supe-
rant: ut in omnibus regnis, ditionibus
& imperiis, quibus dominantur, ob-
servare licet. Atq; hic est belli hujus-
ce status, cāusæ, consilium & scopus.
Quid verò in eo desiderari potest,
quominus legitimū habecatur, atq;
frigidissimorum & ignavissimorū quo-
rumque animi ad belli hujus societa-
tem nobiscum ineundam excitentur,
ut Dei qui nobis id præcipit, nomine
ac numine freti, hasc omnes, quæ no-
bis imminent calamitates à nobis pro-
pulsemus? Religionis nomen obten-
ditur. Papa honorificos illos, quibus
insigniter est ornatus, titulos propo-
nit. Atq; hinc eò gravior & indignior,
quæ nobis infertur, iniuria videri de-
bet, quod & sacrosanctorum Dei no-
men ita profanetur, & sacra omnia iu-
ra pervertantur, ut aduersus præscri-
ptum Dei mādatum ad nos ipsos pro-
dēdos, ad patriam ipsam perdendam,
& durissimæ omnium crudelissimæq;
servituti exponendam concitemur.

Patres nostri, seu quod reges à Papis
durius appellati fuissent, seu quod Pa-
pæ contempta regum auctoritate pe-
cuniam exigere ausi essent, seu quod
summam aliquam potestatem in hoc
regno usurpassent, causa diligentem
ex legibus divinis & humanis, item
que ex regni institutis & moribus dis-
ceptata ac dijudicata, Papas sine ulla
dubitacione damnarūt, ac relegarunt;
eorum ministros ignominiose acce-
ptos è nostris finibus expulerunt, eos
dem suis edictis & senatuscōsultis ho-
stes declararunt, atq; justissimè bellum
iis inferri posse censuerunt. Sed nō de
bullis jam agitur: alia longè graviora
urgent. Pontificiæ adversus demor-
tuum regem excommunicationis vir-
tute, finitimi ditionem hanc invase-
runt, extrema regni propugnacula oc-
cuparūt, atq; in media etiam illius op-
pida suis & callidis consiliis & aureis
Philippis se insinuarunt. Quin Sfon-
dratus Sixti successoris sui furores imi-
tatus, initam dudum rebellionem cō-
firmat, omnem pacis inter nos conci-
liandæ

liandæ viam intercludit: vicinos, ut ad
navis quasi laceratæ direptionem cer-
tati accurrat, enixè sollicitat: thesau-
ros è nostris loculis eo animo (hic enim
putabatur) & consilio, ut ad bellū con-
tra Turcas gerendum cōverterentur,
corrosos, expromit & totos exhaaurit,
per quos armata manu nos invadat, &
si modò potest, penitus etiam perdat.
Huccine rerū venimus, hæc ne est ho-
rum temporū ratio, hicne regni status,
ut deceat Gallos aut medios esse, aut
quibusdam rationibus repressos frigē-
re, aut publicæ defensioni aliqua in re
deesse, & turpiter à Majorum suorum
pietate, fortitudine, & fide degenera-
re? Non mediocris equidē bonorum
vivorū, patriæq; studiosorum civium a-
nimis incutitur dolor, quum ad arma
venitur: quæ si ob religionē capiantur,
cōduplicatur mœror, suspiriāq; magis
ac magis invalescūt. Non sine maximo
igitur animi angore bellū hoc suscipie-
tur, in quo Dei nomē in prætextū usur-
patur. At Deus ipse sancte p̄cipit, ut re-
gi pareamus: rei necessitas & perpetua

majorum nostrorum exempla ad id
nos invitant & compellunt. Papa nul-
lam conquerendi occasionem habet.
Non nos Ecclesiam perturbamus aut
vexamus: ille ipse mali hujus est au-
tor. Quam responsonem Elias Pro-
pheta Achabo faciebat, eandem ipsi
nos facere meritò possumus. Ille ipse
tragœdiā hanc excitavit, ille ipse hanc
nobis perniciem machinatur, ille ipse
pro pace, quam suadere nobis debuit,
classicū canit, ad bellum etiam civile &
intestinum nos concitat. Ille ipse pro
pacifico Evangelio, & cōsolutionibus,
quaꝝ in rebus adversis nobis peropus
sunt, copias infestas, & excommunica-
tionum tonitrua in nos emitit. Bonos
Ecclesiæ Pastores maximi semper fa-
ciemus, & illum ipsum imprimis, si ta-
lis esset. Ille quidem se talem, ac Pa-
trem sanctum in suis Bullis nuncupat,
sed facta & mores repugnant. Patres
in Benedicti 13 caufsa nos docuerunt,
quomodo de bonis pastoribus iudica-
re debeamus. Ille enim tunc eosdem
quoq; usurpabat titulos, quos & Sfon-
dratus

dratus sibi jam arrogat: sed illi verba si-
bi dari non sinebant. Judicii, quod fa-
ciebant, regula, statūs Prophetarum &
Apostolorum, atque Benedicti condi-
tionis cōparatione nitebatur. Quum
enim Samuelis, D. Pauli & aliorū Dei
servorum integritatem sibi propone-
bant, & cum ea Benedicti mores acta-
que componebant, liberè judicabant,
Benedictum nō eum esse, quem se di-
ceret, pastorem scilicet & patrem san-
ctum: sed avarū, Ecclesiæ vexatorem,.
ac tyrannum: hoc etiam verbum usur-
pantes. Id in Caroli v i edicto ita scri-
ptum extat. Si hac majorum regula u-
timur, de Sfondrati pietate & zelo ju-
dicatur, quid sentiemus, quid statue-
mus? Ecquid unquam aut in Aposto-
lis, aut in ullis aliis Dei servis Sfondrati
cōsiliis & actis simile reperietur: ut ni-
mirum cives in principes suos concita-
rint, ut etiam Ecclesiæ ærarium (quod
satius & sanctius ad pauperū inopiam
sublevandam, & alias res ejusmodi ne-
cessarias conferretur) emunxerint ad
colligendos exercitus, & eō consilio

immittēdos, quorū opera, cùm alii suis
opibus & honoribus, tum reges maxi-
mè ipsi dignitate & potestate sua exspo-
lientur? Hoccine Evangelīū Apostoli
prædicarunt? Itane omnē dominatio-
nem fugerūt? Siccine ab omnibus hu-
manis negotiis abstinuerunt? ad cōnc
salutem omnium procurarunt? Tan-
tōne studio & cura hominū offendit
vitarūt, ut potius quām minimā etiam
infimis cōquerendi occasiōnē darent,
de suo aliis iure cōcederent? Nunquid
senserunt, dixeruntve unquā, sua qui-
bus maximē uterentur & niterētur, ar-
ma, aut in militū collectione, aut in o-
pibus viribusq; humanis consistere? Si
igitur Sfondratus se nec lupū, nec con-
jurationis ad nos funditus perdendos
conflatæ caput esse, sed potius verū pa-
storē & pium patrē re ipsa comproba-
ret, nos omnium primi honorem illi &
observantiā libentissimè deferremus.
Sed patres suo nos exemplo docuerūt,
ubi Dei mandatū proponitur, ubi pu-
blica salus agitur, nulli cuiquā quamvis
præstantissimo & potentissimo ceden-
dum.

dum. Subjiciat quantum volet se in D. Petri cathedra sedere: successionē suam objiciat: se Apostolū etiam vēditet: veritas ipsa id omnino falsum esse clamat. Tota illa, quā Episcopi vendicare sibi possunt, auctoritas, una est cult⁹ di-
vini, cui regēdo & administrādo à Deo
constituti sunt, nō dominationis, nedū
tyrānidis, auctoritas. Omnia vestra sunt
(ait Apostol⁹) sive Paulus, sive Apollos,
sive Cephas &c. omnia inq̄ vestra sunt:
vos autem Christi: Christus verò Dei.
Maximi quiq; in hoc Ecclesiæ servorū
numero sunt, & in iis D. etiā Petrus, qui
illuc nominat Cephas. Atq; Academia
Parisiensis in sua illa præclara ad Caro-
lū vi admonitione, hujus loci memi-
nit, eumq; ad eā, de qua tunc agebatur,
controversiā scitè & appositè accōmo-
davit. Si qua igitur Papa est auctoritatē
prædictus, eam ad opprimēdam Eccle-
siam, vexādosq; Christianos adhiberet
nō debet. Alioqui, si Apostolorum sta-
tum exuit, ut Monarchę exercitū con-
scribentis statum induat: totus adeò ad
regnū, quod in suis Monitoriis Bullis

1. Cor. 3.

præcipuū Ecclesiæ adm iniculū nomi-
 pare cogitur, penitus evertendū com-
 paratus: si, inq̄, talē se getit, nō item ser-
 vum, pastorem & patrē: nulla est jā il-
 lius auctoritas, merus est verusq; lupus,
 quem oves aversari & fugere debent.
 Quū patres nostri flagitosos ejusmodi
 Papas habebāt (qui tamē pravis affecti-
 bus, odiis, & sceleratis cōtra hoc regnū
 conspirationibus, ab istorū furoribus
 longissimo intervallo aberant) solenni
 judiciorū ritu proclamabant ac decer-
 nebant, sibi ab iis discedendum esse,
 Apostoli cōsilio freti, dum ait, Segre-
 gate vos ab omni fratre, qui se inordi-
 natē gerit. Quinetiam eos ipsos, si pro-
 vinciæ suæ finibus egressi, in regnū hoc
 infestis armis irruere tentarent, hostes
 edixerunt, statuerūtq; bellum cum iis
 justē geri posse. Hæc nobis esse debent
 sacrosancta, inviolatēq; servanda judi-
 dicia, si hoc regnum esse salvum veli-
 mus. Publicæ saluti omnis dignitas &
 auctoritas, etiā pontificia, quanquam
 dirumpatur & crepet Sfondratus, ce-
 dat necesse est. Cūm tot bonæ fidei re-
 & xque

Atque conscientiæ testimonia nobis non desint, errare jam & labi non possumus.

Nec verò mali quidquā nobis hinc metuendū est, modò armis, quæ Deus ipse nobis tradit, rectè utamur. Sfrondatus mira pollicetur, si quod imperat præstemus: contrà dira minatur, si imperiū detrectemus. Lenis quidem & benignus pater est, sed continuò fulmen arripit, arma & copias, quæ consanguinei sui ductu & auspiciis regātur, insolēter jactat. Nunc sacri ad precan-dum vel imprecandū pontificis: Nunc armati ad bellum gerendū imperato-ris, ut quondam Bonifacius, habitum & personam suscipit. Senectutē suam stomachatur & cōqueritur, per quam ipse rei gerendæ adesse non possit. Vitam etiam suam se profusurū promittit, sed procul admodum, & periculi securus. Alter est Julius 2, furoris & cæ-dis plenus, qui libenter D. Petri claves in Tyberim projiceret, ensem & lorricam arrepturus. Nempe ille Christi vicarius, ille Petri successor Sfrondra-

tus in suis Bullis talem se ostendit. Sed ea omnia meræ sunt minæ , & vana puerorum terricula. Patres nostri aliorum Paparum nec rabie, nec illis , per quas finitimi adversus regnum conjurabant, comminationibus ullo modo terrebantur. Nec Sfondrati copiis magis terrebitur Gallica nobilitas, aliquique optimi viri patriæque studiosi cives, qui se animorum æquè ac nominis & facultatum avitarum successores verè præstabunt. Papæ fulmina, fumi umbra tantum sunt: Illius monitoriæ literæ nihil sunt aliud quam inanes, confractæ &c, ut ita dicam, exenteratæ bulæ, quæ levem duntaxat & evanidum strepitum edant.

Quod si aut temeritate quadā , aut nonnulla imperii alieni invadendi cupiditate , aut aliquo alio pravo cōsilio, in gerendo hoc bello duceremur, næ metuendæ valde nobis essent non hominis cuiusdam , sed Dei ipsius combinationes, qui nec vult nec patitur, ut bella ita injustè gerantur. At nos hujus

hujus belli Deum ipsum comprobatorēm habemus, cū illius mandati auctoritas jubeat, cū Majorum exemplum moneat, cū (acerrimum ad res gerendas telum) maxima, & quām antea unquam longē major necessitas moveat, ut ad justam ac legitimam regis nostri regnique totius defensionem aggrediamur : cū denique regem , quem Deus tam multis sui in nos amoris & benevolentiae argumentis nobis præfecit, ducem auspiciemque habeamus. Ea est Dei vocatio , cui illius ipsius beneficio comes erit successus & felicitas. Qui bellum suo regi indicunt & inferunt, qui patriam hosti produnt, qui universum regnum incendio , sanguine , & confusione compleant, his justum Dei iudicium , & quò tardius , eò gravius certò impendet. Certa enim hæc est stabilisque & immutabilis Dei sententia; Quicunque potestati resistit (Apostolus ad Roman. 13. de principe à Deo constituto ita loquitur) Dei ordinationi

resistit: qui verò illi resistunt, ipsi sibi condemnationem auferent. Hæ sunt autem Monitoriæ Dei vivi literæ, non hominis mēdaciæ Bullæ. Rebelliones atque nefariæ civium in principes suos conjurationes, impunitæ nunquam & inultæ relinquuntur. Illæ demum minæ metuendæ sunt. Conjurati de suo Papa insolenter gloriantur, cum nobis superbè ostentant, subindéque obtrudunt: Putant illum Dei cujusdam instar sibi esse, qui dextram ad nos perfundandos fulmine armatam habeat.

Nota

Ex vexillis Papæ ipsius ore manuque consecratis miranda sibi promittunt. At eæ bullæ sunt & nugæ. Promissiones & cōmationes, itemque elogia & imprecations, in Dei unius nec alius cujusquam manu & dispensatione fitæ sunt. Adversus Dei minas, istius furiosi benedictiones nulli planè auxilio & præsidio erunt: adversus verò vefani istius exsecrationes, quas in nos usque jaculari se putat, Dei studium & patrocinium, tutissimū nobis semper erit certissimumque propugnaculum.

Con-

Convertetur perversitas ejus in caput
ejus(ut in Psalmo dicitur): & super ver- *Psal. 7.*
ticem ejus, iniquitas ejus descendet:
Caroli vi tempore in Parisiensi con-
ventu, concionis cujusdam à Dōctore
Theologo, dicto Cruricurto in Bene-
dictum Papā institutæ atq; habitæ ar-
gumentum fuit: Illud etiam hodie no-
bis adversus Sfondrati, ejusque simi-
lium conspirationes & fulmina, sacro-
sanctum divinæ justitiæ decretū esto.

T. Berchetus Lectori S.

Quam post conscriptum & pœne jam edi-
tum hunc libellum gravissimum supremi
senatus adversus Papam ipsiusque Bullas decre-
tum, quo libri argumentum ita confirmatur, ut
alterum ex altero confectum descriptumque esse
videatur, ad nos perlatum fuisset: illud quoque
Lector, Latine mihi vertendum, & in tuam gra-
tiam huic libro apponendum putavi, ut de Bal-
larum Papalium inanitate & errore, de causa
regie justitia & veritate, atque de admirabili se-
natus integritate & fide tibi magis constaret.
Nempe par erat ut Patricii à patrum suorum ac
veterum illorum senatorum, qui tam magno for-
tique animo decreta ejusmodi non semel adver-
sus Paparum tyrannidem fecerant, constantia &

animi magnitudine non degenerarent: sed potius
in eadem causa eodem quoque animo essent, &
virtutem illorum ac fidelitatem fortiter imita-
rentur. Verè hoc profectò patrissare est. Sed jam
senatus consultum lege, examina, & perpende:
nullum quidē certè aut justius aut sanctius aut
magnificentius ea de re factum unquam fuisse
dixeris. Vale.

Supremi senatus Decretum.

*h) n
dece
Kult* **D**E C R E V I T senatus ut in posticā
complicatarum literarum parte
hæc inscribātur, lecta, publicata, in ta-
bulas relata.

A U D I T O, & hoc postulante gene-
rali regis procuratore, atq; habita reli-
quarum petitionū ab eo propositarum
ratione, Monitorias Bullas primo die
Martii Anno 1591 Romæ datas, irritas,
fallaces, seditiosas, damnandas, impie-
ratum & imposturarum plenas ac re-
fertas, sacris Ecclesiæ Gallicanæ decre-
tis, juri, immunitatibus & libertatibus
contrarias esse declaravit ac declarat.
Constituit ut literarum Marcilii Lan-
driani sigillo consignatarum ac Sexti-
lii Lampini nomine subsignatarū ex-
empla

empla per publicum supremæ Juris- + forenses
dictionis executorem dilacerentur, viri nostra
atque in ignem, qui hanc ob causam tes carnifi-
ante p̄cipuam curiæ portam incen- cē hoc ver-
detur, cremanda conjiciantur. Om- borū cir-
nib⁹ Antistitibus, Curionibus, Vica- cuitu si-
riis & aliis Ecclesiasticis viris ne ulla gnificant.
Bullarum istarum exempla promul-
gent: itemque cæteris omnibus cujus-
cunq; status, conditionis & fortis ho-
minibus, ne illis pareant, ne illas et-
iam omnino habeant & conservent,
sub lœfæ Majestatis criminis pœna in-
terdixit. Gregorium Papam se vendi-
tantem, hujus nominis xiiii publicæ
pacis, Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ
& Romanæ concordiæ, regis Gallici-
que regni hostem, Hispanæ conjura-
tionis socium, rebellium & in regem
contumacium fautorem: crudelissimi,
immanissimi, & detestabilissimi par-
ricidii in Henricum iiii fidelissimæ
memoriæ ac Christianissimum & sum-
mè Catholicum regem per proditio-
nem patrati consciū pronunciavit
ac pronunciat. Omnibus mensariis

¶ vulgo
 Dispensat
 vocant. nead Bullas & Canonum gratiam, atque ad aliam quamcunq; aliarū rerum facultatem impetrandā vel spondeant, fidemq; suam interponat, vel mensarię negotiationis opera, aurum argētum-
 ve Romam perferendum curent sub eadem p̄cena interminatus est atq; interminatur. Siquid verò ejusmodi jam transactum confectumq; fuerit, Magistratibus ac Judicibus, ut in id diligenter animadvertat mandat. Idem senatus sancit, ut Marcillus Landrianus dīcti Gregorii Nuntius, qualem quidem se profitetur, itemq; Bulligerulus, injecta manu comprehendatur, & in curiæ carcerē captivus pertrahatur, causa dicta disceptatāq; ex legibus pro merito condemnandus. Quod si capi cōprehendiq; nullo modo possit, ut tribus perendinis, è quām proximo suelctionibus, accessūq; facilis loco, ad causam dicendā vadimoniū illi denuncietur. Omnibus urbsū gubernatoribus, atque artium & propugnaculorum in regis ditione & imperio cōstitutorum praefectis, ut supradicto decreto exequen-

quendo opem atque auxilium ferant, jubet. Atque, ut justa sanctaque regis voluntas ipsius subditis testata & manifesta fiat, edicit ut exscriptatum regis codicillorum, tum hujus senatus consulti cum exemplari collata & cognita exempla, in hujuscce urbis cōpitis ac præcipuis templorū portis apponantur & affigantur: atque ad hujus Jurisdictionis præfecturas ac municipia mittantur: quò illic publicentur, in tabulas referantur, & ut jam dictum est, affigantur: necnon ad Archiepiscopos & Episcopos qui ea deinde Ecclesiasticis suarum Diœceseōn hominibus patefaciant. Munus hoc † Juridicis provinciarū præfectis, eorum tum generalibus tum specialibus subpræfectis injungit, ut illorum promulgationem curent. Adhæc procuratoris generalis substitutis, ut omni studio & opera ad decretum hoc execendum incumbant, in contumaces anquirant & animadvertant, senatumque de adhibita à se in eam rem totam diligentia intra mensē certiorem fac-

† *Balivos
Gseneschā
los hodie
vocamus.*

ciant, alioqui Magistratibus suis abdicandi. Turonibus in supremo senatu Anno millesimo quingentesimo nonagesimo primo, quinto Augusti die, quo ad hujus Decreti executionem pomeridianis horis ventum fuit.

1591
5 Augst

Idem Berchetus Lectori S.

EN alterum adhuc, Lector, senatus consilium altero post prius illud die allatum est cōversum: idque superiori adeo germanum est simile, ut si per pauca mutaveris, geminum quodammodo, est una pāne, aut potius planè anima in duobus corporibus inesse videatur. Facit verò id summa intentu regis maiestate ac propugnanda patriæ libertate cōsenso, et cōspirans membrorum cum suo capite sympathia, ut, quot antea unicum supremæ curiae corpus fuerat, nunc temporum iniquitate, longo licet a se locorum intervallo distractum, idem tamen prorsus est sentiat et sanciat, certatimque de fide et officio contendat ac laboret. Verum, cum res ab his et illis gravissimis senatoribus judicata ita belle libelli iuris sententie congruat, ut altera ab altera omnino probetur et confirmetur: opera aliquod premium facturum me sum arbitratus, si darem pro mea parte operam, ut quæ tam appositi et convenienter quadrant, cederentur simul, et eodem quoque

quoque libello concluderentur: unde haberetis, in
quo vere utiliterque conquiesceretis. Vos vero ò
gravissimi patres, quotquot jam & Turonibus &
Catalauni superestis non minime, immo potius ~~chaloni~~ ^{in quoque} ~~chaloni~~ e
potissima & splendidissima Danaum atque im- ^{in quoque} ~~chaloni~~
mitis Achillei reliquia, cum pristinae avorum,
tum vestrae ipsorum pietatis ac virtutis memores,
vos fortiter ut facitis colligite, & ad Gallici regni
conjuratorum scelere perfidiaque labantis sta-
tum erendum, & in antiquum splendorem re-
stituendum summo consensu confirate: atque,
ut verbo dicam, ad divina & humana jura à
Catilinariis istis ferè convulsa & eversa instau-
randa stabiliendaque omni ope atque opera in-
cumbite: ut publica rei conservatae ac restituta
partem non mediocrem vobis ipsi nulla invidiæ
vendicare: Nos autem & tota adeò posteritas,
tantam istam, quam in difficillimis Reipub. tem-
poribus opportunissimè præstiteritis, virtutem ac
fidem gratâ memoria, honorificisque laudibus
meritissimò prosequi ac celebrare possimus. Vale
iterum Lector, & tantillo hoc nostro labore li- 1591
benter fruere. 1591
5 die Septemb. 1591.

SUPREMÆ CURIÆ CATA-
launi confidentis Decretum in provocatio-
nem per generalem regis procuratorem de
iniqua & fallaci quarundam Bullarum, qua
Roma emanarunt, congettione & execu-
tione interjectam, factum.

*De la rōure
a châlon
29 aug^{ti}
1591*

*1591. 10
march*

OB Monitorium Bullarū, excom-
municationū, & fulminationum
Romæ aduersus Henricum huius no-
minis III, & hunc qui iam regnat, de-
cretarum concessionem & executio-
nem: tum ob Bullarum de Cardinalis
Caietani legatione, ac de iis omnibus,
quæ inde sequuta sunt: atque aliarum
quoque Romæ primo Martii die 1591
datarum, actuumque & promulgatio-
num per Marcilium Landrianum
Papæ se nuntium profitentem facta-
rum, quia irritarum, frustratoriarum,
bonis omnibus invisarū & odiosarum,
seditiosarum, atque adversus sacrosan-
cta Gallicanæ Ecclesiæ decreta, jura &
libertates confectarum editionē: Le-
gitimâ inter generalem regis procura-
torem jure, quippe de re fallaci & ini-
qua

qua provocantem, criminisq; ac maleficii nomine a gentem: atq; inter ipsum Marcilium Landrianum Referendarium Papæ se nuntium vulgo venditatem, in hoc regnum regis injussu clam ingressum, citatū reum, & ad nomen non respondentem actione instituta:

Curia ad provocationē à dicto generali procuratore factum judicium reddens, & de absente secundūm præsentē judicans, statuit ac pronūciat, quicquid cōtra defunctum Henricum III felicissimæ memoriae regem, & hunc qui regni gubernacula nūc tenet, ejusque clientes, & ditioni atque imperio subjectos cives constitutum, tentatum, actumque fuerit, id perperam, vanè & falsò constitutum, tentatum & actum: ideoq; ab actore publico & regio recte appellatum fuisse. Supradictas o-
nes Bullas, acta, excommunicationes, & fulminations ut brutas & irritas, odiosas & invisas, seditionis faces, imposta-
sturā plenas, atq; adversus sacra de-
creta, canonicas cōstitutiones, appro-
batāq; concilia, nec non Gallicanę Ec-

clesiæ jura & privilegij contextas confregit, revocavit, antiquavit: confringit etiamnū, revocat & antiquat. Sanxit & sancit, ut, si qui ejusmodi Bullarum & actuum virtute excōmunicati fuerint, hac pœna solvātur: istæq; Bullæ & omnes inde profectæ actiones, in publica hujusce urbis platea per supremæ Jurisdictionis ministrum, carnificem, concrementur. Edicit ut prædictus Lādrianus, Nuntius vulgo habitus, qui clandestina via in hoc regnum nullâ à rege impetratâ veniâ, irrepsit, manu in ipsum injecta cōprehendatur, & in regiam Catalauni oppidi custodiâ tradatur, quò in eū ex legibus extra ordinē statuatur. Qui si nulla cōprehendiratione poterit, in trinundinū dies illi cōsuetu more dicatur: ei verò qui vivum illum in curiæ potestatem tradiderit, decem aureorum millia persolvantur.

Chalons

Nutra

Omnes cujuscunq; sortis, dignitatis & cōditionis homines sub capitib; pœna vetuit & vetat dictum istum Nuntium apud se tenere, celare, absconde-re, aut hospitio excipere: Archiepisco-pis

piscetiā, Episcopis & Ecclesiasticis aliis
viris graviter interminatur, ne ulla ju-
dicia aut acta à Nuntio illo emanantia
: promulgent, promulgative patientur,
ne in perduellionis pœnam incurvant.

Declaravit ac declarat Cardinales
qui Romæ agunt, itemq; Archiepisco-
pos, Episcopos aliosque Ecclesiasticos,
qui Bullas istas & excommunicatiōnes
suaserunt & cōsignarunt, quiq; imma-
nissimū, perquām abominandum, &
detestabilissimū in Christianissimū &
Catholicum imprimis vita defunctum
regē perfidiosissimè admisum parrici-
dium cōprobarunt, sacerdotiorū, qui-
bus in hoc regno potiūt, possessione
exturbatos esse. Atque generali regis
procuratori munus hoc imponit, ut re-
giam manū ejusmodi sacerdotiis in-
jiciat, iis regis nomine vendicandis &
dispensandis idoneos fidelissimosq; se-
questros præficiat, deniq; curiam de-
collata à se ad eā rem diligentia cōmo-
nefaciat. Hoc interim decreto edi-
cit, ne quis aurū vel argentum Romam
aut ferat aut ferendum curet: néve il-

lic de sacerdotiorū possessione sibi cā
venda & cōfirmanda ullo modo agat,
rationemq; ineat, donec ea de re con-
stitutum quid à rege decretūq; fuerit.
Postremò cavet & sancit ut regius pro-
curator à se interpositæ ad proximè fu-
turum legitimè quidem ritēq; congrega-
tum conciliū, provocationis auto-
ritatem de Cardinali Sfondrato Gre-
gorium xiiii se mentiente, qui in san-
ctam sedem Apostolicā grassatoris in-
star invasit, cōsignatā penes se habeat.

Hoc verò Decretum in hujus Ju-
risdictionis præfecturas & municipia
perferendum curabitur , ut in iis ad
tubæ sonū promulgetur , & in urbium
compitis ac præcipuorum templorum
foribus affigatur. Procuratoris itē ge-
neralis substitutis mandatur , ut eam
rem totam diligenter curent: Judici-
bus verò , ut ad rei conficiendæ ratio-
nem aggrediantur , & curiam ea de re
certiorem faciant.

Datum in curia Catalauni , 29 die
Augusti , 1591 , & pomeridianis ejusdem
diei horis effectum.